De carminum Horatianorum personis quaestiones selectae.

Dissertatio
inauguralis philologica
quam
consensu et auctoritate
Amplissimi Philosophorum Ordinis
in
Academia Fridericiana
Halensi cum Vitebergensi consociata
ad summos in Philosophia honores
rite capessendos
scripsit

Augustus Gruner
Coburgensis.

HALLE a. S.

Coburgiae
Typis descripsit Rossteutscher
MCMXX.

Ad ordinem rettulit G. Wissowa

Examen rigorosum habitum est Hal. Id. Apr. MCMXX.

Manibus matris
fratrumque
pro patria mortuorum
sacrum.

„De personis Horatianis“ iam ante Porphyrionem nonnulli homines docti scripserunt (Porph. ad serm. I 3, 21, 91), quorum vestigia adhuc exstantia summa diligentia atque doctrina collegit Adolfus Kießling in ind. lect. Gryph. 1880. In his commentationibus de iis plerumque hominibus agebatur, qui in civitate Romana vel litteris florebant vel aliunde interpretibus antiquis noti erant. Neque vero de his hominibus maiorem partem in sermonibus atque epistulis, minorem in carminibus lyricis occurrentibus hoc loco disserere in animo habemus, sed de hominibus privatis et obscuris, quos in carminibus ad amorem et convivia pertinentibus invenimus, de poeticis personis, ut uno verbo distinguam ab historicis. De quibus quamquam nihil antiquitus memoriae traditum est nisi quod ex Horatii carminibus ipsis apparet, tamen eo studiosius viri docti operam dederunt, ut, quod leviter poeta significaverat, colligerent, recenserent, interpretarentur. Una autem res plurimis viris doctis curae fuit: Horatii amores. Neque enim negari potuit permulta virginum, meretricum, puerorum delicatorum nomina in carminibus occurrere; quin autem poeta omnes res, de quibus in carminibus loqueretur, etiam in vitae veritate vidisset, nemo fere dubitabat. Itaque carmina amicarum nomina continentia in eum temporum ordinem redigi solebant, quem horum ratio singulorumque amorum series et continuatio postulare videbantur. In duas autem partes homines discesserunt: alteri ob infinitam amorum multitudinem Horatium hominem libidinosum rebusque Veneriis nimis deditum fuisse arbitrati ob eandem rem pro ipsorum moribus aut damnaverunt poetam aut admirati sunt;[1]) alteri amore poetae capti aliquo modo ab impudicae libidinis crimine eum defendere conati sunt. Quorum clarissimus Lessing est, qui in commentatione illa lectu iucundiore quam arti criticae accommodatiore, quae inscribitur: „Rettungen des Horaz“, ita iudicat: „Ich verehre einige große Geister so, daß mit meinem Willen nicht die geringste Verleumdung auf ihnen haften soll. Horaz ist einer von diesen.“ Lessingium permulti alii secuti sunt; quin circa annum MDCCCXL paene mos philologorum fuit, ut „de Horatii amo-

[1]) Stemplinger, RE VIII 2344—46.

ribus" scriberent.[1]) Ita autem plerique ingentem qui videbatur numerum amorum minuere studebant, ut poetam eandem personam variis nominibus celebrasse conicerent atque Lalagen Glyceramque vel Lyden, Galateam, Phidylen vel Telephum Xanthiamque, ut pauca afferam exempla, eundem hominem significare censerent. Quae ratio interpretandi quam perversa sit, longum est fusius exponere; tamen in Ritteri Schützii que editionibus nonnulla, quae in simili genere versantur, invenies. At ne ita quidem contigit, ut amicarum numerus ita minueretur, ut ratio rectae honestaeque vitae vel tempora carminum postulare videbantur. „Daß er zu gleicher Zeit zwei oder gar drei eigentliche Herzensdamen gehabt haben soll, wird doch hoffentlich kein auch noch so viel verdauender Interprete des Horaz verdauen wollen" (Weber l. l. 94). Quae cum ita essent, vir doctus quidam ita poetae honorem defendere posse sibi videbatur, ut Horatium a sordidissima scortorum libidine ad piam amicarum caritatem ascendisse peraudaci carminum interpretatione statueret; quin etiam id factum est, ut quidam, quod homini non praeiudicatis sententiis ad carmina accedenti paene incredibile videtur, Horatium eo consilio carmina scripsisse opinaretur, ut, cum vitia et libidines omnibus fastidii et taedii coloribus pingeret atque poliret, Romanos ab amorum impura et flagitiosa levitate deterreret: „Der Dichter geht darauf aus, ein grelles Bild römischer Verworfenheit in Geschlechtsverhältnissen zu zeichnen." „Sein Ausmalen des Lasters wirkt so auf das Herz des unbefangenen Lesers, daß es, was der Dichter wollte, wirklich anekelt."[2])

At haec exempli causa attulisse sufficiat. Melius paulatim poetae rationem intellegentes didicimus, quo modo carmina scripserit:

. . . . ego apis Matinae
more modoque
grata carpentis thyma per laborem
plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
carmina fingo, (carm. IV 2, 27)

---

[1]) Passow, Über Tibulls Glycera (c. I 33). Jahns Arch. f. Phil. u. Päd. II 1825.

W. S. Teuffel. De Horatii amoribus. Neue Jahrb. f. Phil. u. Päd. Suppl. VI 1840.

W. E. Weber. Auch de Horatii amoribus. ibid. Suppl. IX 1843. W. E. Weber. Quintus Horatius Flaccus als Mensch und Dichter. Jena 1844.

F. Bamberger. Über Telephus und einige andere personae Horatianae. Philol. I 1846.

[2]) W. Monich, Die Horazische Lyra, Berlin 1841 p. 23.

etsi hoc poetae ipsius testimonium ad verbum intellegendum esse nemo contendet. Opera autem Horatii cum exemplaribus Graecis, quaecumque aetatem tulerunt, comparantes, quid illis debeat, quid ipse addiderit, magis magisque intellegere et discernere conamur. Ita fit, ut multas personas in carminibus lyricis occurrentes non ex vitae veritate, sed ex poetae inventione ortas vel ex prioribus scriptoribus assumptas esse nunc omnes fere viri docti consentiant.[1]) Paene dixi omnes; at Staedler excipiendus est, quippe qui antiquae illi interpretationis rationi, quae non solum omnes res a poeta narratas pro veris habebat, sed etiam sua imaginatione ad arbitrium augebat, totum se tradiderit.[2])

Quae cum ita sint, operae pretium esse videtur, quidquid probabile de carminum hominibus cum alii interpretes tum Kießlingius et Heinze,[3]) quorum vestigia saepe sequemur, adhuc protulerunt, denuo colligere atque examinare, si rectum videbitur, novis argumentis fulcire, novos, si fieri poterit, nominum fontes et rationes detegere. Ad hoc consilium assequendum inscriptiones Graecas et Latinas, ut singulorum nominum in vita cotidiana frequentiam illustrarem, maiore cum labore quam fructu perscrutatus sum; melius scriptores perlustranti mihi res cessit.

Disputaturis nobis de Horatii personis primum quaerendum est, utrum poeta iisdem nominibus semper eosdem homines significaverit an idem nomen diversis personis imposuerit.

C h l o e in quattuor carminibus commemoratur: I 23 puella simplex et subtimida est, non arrogantia, sed pudore puellari ab amore deterrita; III 9 flava Chloe e Thracia oriunda Lydiae a poeta praefertur, priusquam cum hac in gratiam redit; III 26 arrogantia commota poetae amorem repudiat; III 7 autem Orici, in oppido Epiri, habitat Gygemque hospitem, iuvenem constantis fidei, ad amorem pellicere conatur; nuptam eam esse cogitemus necesse est. Nullo igitur pacto fieri potest, ut haec eadem sit atque illae, quas matrimonii expertes Romae moratas poeta introducit.

C h l o r i s II 5 puella pulcherrima est albis nitentibusque umeris decora, III 15 vetula turpissima, quae tamen nequitia et libidine adducta in conviviis iuvenum amores expetere puellarumque procacitatem ac lasciviam in summa deformitate anili

---

[1]) S t e m p l i n g e r, RE VIII 2348.

[2]) C a r l S t ä d l e r, Horaz sämtliche Gedichte im Sinne J. G. Herders erklärt. Berlin 1905.

[3]) Qu. Horatius Flaccus, Oden u. Epoden erklärt v. A. K i e ß - l i n g. 6. Aufl. erneuert v. R. H e i n z e. Berlin 1917.

prae se ferre pergit. II 5 a nobili iuvene, poetae amico, adamatur;[1]) III 15 pauperi marito nupta est.

Cyrus I 17 protervus et importunus amator Tyndarida a poeta rus invitatam laesae fidei suspicione persequitur omnibusque modis vexat et excruciat; I 33 quod turpis est, a Pholoa repudiatur, a Lycoride autem misero amore petitur.

Glycera I 33 Tibulli, I 19, I 30, III 19 Horatii amica est.

Gyges II 5 puer Cnidius est tam pulcher, ut puella videri possit; III 7 mercator, qui ex Bithynia confectis negotiis rediturus adversis ventis Orici hiemem degere cogitur.

Lalage I 22 poetae, II 5 amici alicuius amica est.

Lyce III 10 matrona est, quae paene castior Penelope amatoris intempesta nocte ante fores prostrati non miseretur, quamquam maritus eius *Pieria paelice saucius* ipse fidem matrimonii laedit; IV 13 anus matrimonii vinculis libera, quae iuvenili lascivia procax ac libidinis oestro percita impudenter ludit bibitque, neque vero vestimentis Cois carisque lapidibus invenuste ornata dentes luridos, rugas turpes, capitis nives celare potest.

Lycus I 32 puer *nigris oculis nigroque crine decorus* ab Alcaeo adamatus, III 19 senex est, qui laetitiae iuvenum cum tibicinis et citharistriis tumultuose bacchantibus invidet, quod ipsi uxor non habilis est.

Lyde II 11 devium scortum appellatur, quod de meretrice paulo nobiliore, ut ita dicam, quae non sit περίφοιτος, plerique interpretes intellegunt; III 11 puella ferocula est et nuptiarum expers, III 28 ad Neptunalia celebranda a poeta invitatur peritissimaque videtur Horatii cellae vinariae (si modo apud illum carminis res aguntur), quod optime scit, ubi Caecubi dolia recondita sint; ex hac re Lyden vilicam poetae esse nonnulli interpretes concluserunt.

Lydia carminis I 8 longe diversa est ab illa III 9, id quod infra sub hoc nomine demonstrabimus; vicissim alia est illa I 25, cui ob pulchritudinem amissam senectutemque paulatim obrepentem illuditur, cum Lydiae I 8 et III 9, quas florentis aetatis esse accipimus, intra pancos annos, quibus poeta carminum libros tres conscripsit, anus fieri non potuerint.

Pholoe II 5 Chloridis aequalis et aemula, III 15 Chloridis filia est; I 33 aspera, II 5 fugax nominatur, III 15 autem lascivia ut Thyias concitata ipsa iuvenum domos expugnat.

Phyllis II 4 Xanthiae flava et ancilla et amicula est, cuius pulchritudinem sine ulla cupiditate poeta integer laudat;

---

[1]) Horatium c. II 5 non ad se ipsum misisse Lucianus Müller aliique mihi persuaserunt.

IV 11 autem Phyllida, quam finem amorum suorum appellat, ut coronis ornata Maecenatis diem natalem secum celebret, invitat, quamquam illa Telephi iuvenis amore inflammata est.

Quibus exemplis facile intellegitur Horatium idem nomen non semper eidem homini dedisse, sed ad unumquodque carmen pangendum denuo e nominum copia id, quod ei aptum videretur, elegisse. Neque primus hoc fecit: Theocritus enim in personarum nominibus eligendis eundem morem secutus, Theocritum autem Vergilius in hac quoque re imitatus est.[1]) Posteriore autem aetate Martialis iisdem nominibus fictis diversos homines significare solet.

Qua nominum eligendorum ratione exposita ut in medias res ingrediamur, nescio an utile sit et iucundum, quomodo argumentum disponere in animo habeam, paucis hoc loco explicare. Primum disputandum erit de nominibus mutatis, deinde de nonnullis nominibus Romanis, tum de nominibus ex fabulis, ex certis scriptoribus, ex certo litterarum genere haustis, post de nominibus ad carminum argumenta accommodatis, tum de nominibus cum patriae indicatione coniunctis, denique cetera nomina agmen claudant. Inquisituris autem nobis in nominum rationem, si hoc licet praemonere, saepius fontes detegendi erunt, ex quibus Horatius haurire potuit quam ex quibus eum hausisse constet.

Caput I.

De nominibus mutatis.

Nonnullos poetas Romanos in carminibus amatoriis non veris amicarum nominibus uti, sed fictis, nemo est qui ignoret, postquam Bentleius vir doctissimus in adnotatione ad Hor. c. II 12, 13 de hac re egit. Testes huius consuetudinis locupletissimi laudari solent Apuleius in apologia cap. 10 (p. 11, 26 Helm): *Eadem igitur opera accusent Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit, et Ticidam similiter, quod, quae Metella erat, Perillam scripserit, et Propertium, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet, et Tibullum, quod ei Plania sit in animo, Delia in versu,*
et Ovidius trist. II 427:

sic suo lascivo cantata est saepe Catullo
femina, cui falsum Lesbia nomen erat.

---

[1]) Carolus Wendel, De nominibus Bucolicis. N. Jahrb. f. kl. Phil. Suppl. XXVI 1901 p. 2 sq.

et quorum libris modo dissimulata Perilla
nomine, nunc legitur dicta, Metelle, tuo.

Praeterea Gallus Cytheridem suam Lycorida, Tibullus aliam amicam nobis ignotam Nemesin, Varro Atacinus puellam ignotam Leucadiam, Ovidius ipse amicam suam Corinnam „nomine non vero“ (trist. IV 10, 59) vocaverunt. Cuius moris quasi inventor et ἀρχηγέτης, quantum nos scimus, Catullus fuit fortasse Graeci alicuius poetae elegiaci vel Theocriti exemplum secutus, qui in Thalysiis (VII) se ipse cum amicis nominibus fictis bucolicis introduxit. Neque difficile est intellectu, cur Catullus Clodiae suae verum nomen dissimulaverit; feminam clarissimo et potentissimo genere natam in carminibus vero nomine prostituere neque voluit neque ausus est. Hunc morem elegorum poetae secuti, ut amicarum nomina vulgus celarent, veris nominibus ficta substituebant aequali syllabarum et numero et quantitate eo scilicet consilio adducti, ut ipsi ceterique, qui huius rei conscii essent et quasi clavem haberent, salva versus mensura verum nomen restituere possent. Sed quae initio optima fuit consuetudo, deterior facta a posterioribus ratione carere coepit. In multis Propertii versibus verum nomen Hostiae pro Cynthia impediente hiatu restitui non potest; Ovidii autem Corinnam nunquam fuisse nisi in poetae versibus inter omnes constat.

Dixerit quis non modo in elegis, id quod amicarum causa bene fecerint, sed etiam in iambis poetas veteres nomina mutasse. Quid ergo? Nonne mirum hoc videtur? Quod amicarum causa laudandum fuit, num idem probandum, si quem aggredi in animo habebant? Minime. Non ficta nomina ei, qui aliquem carpere vult, adhibenda sunt, quod ipse impetus fructibus se privaret, si homines, quid in animo haberet, non intellegerent; sed veris nominibus aggrediendi sunt adversarii, nisi forte potentiores sunt, quam ut poeta hoc audere possit. Sed tribus locis a Bentleio ad Hor. c. II 12 laudatis, quos paulo accuratius examinemus necesse est, poetas veteres in iambis et sermonibus nomina hominum quos aggrediebantur celasse memoriae traditur.

Pseudacro ad serm. I 2, 64 (II 24, 13 Keller): *(Villius in Fausta) Nomina semper incerta pro certis. Nam Fausta Syllae filia T. Annio Miloni nupta fuit, ut superius exposui. Alibi . . . et hic: „Villius in Fausta“ Annius in Fausta. Eodem numero syllabarum commutationem nominum facit.* II 25, 4 Keller: *Hanc cum Villius impetrasset uxorem, forte Longarenus adulter domi eiusdem puellae erat; ita Villius conlisus est plagis; nihilominus eam postea tenuit apud se propter nobilitatem.*

Porphyrio ad eundem I p. 235, 10 Holder: *Villius pro Annio dixit. Annius autem Milo maritus fuit Faustae Cornelii Syllae*

filiae, qui a familia Longareni adulteri uxoris suae rediens a cena ante aedes suas, ne adulterium deprehenderet, pugnis caesus est et ferro perterritus.

Sed fidem scholiastis abnegandam esse et Bentleins ipse l. l. demonstravit et facile intellegi potest. Commentator quidam falso hunc locum interpretatus est, quasi de maritorum, non de moechorum incommodis periculisque poeta ageret acumine poetae, quo non maritus, sed adulter Faustae Sullae gener vocabatur, non perspecto; itaque Annii Milonis, Faustae mariti, memor hoc nomen Villio subaudiendum esse putavit et de marito a cena redeunte narratiunculam ineptam finxit. Quid enim est, quod poetam Miloni pepercisse putemus, cum dictatoris ipsius filiam suo nomine prostituerit? Itaque nemo est, qui dubitet, quin re vera Villius, Milonis amicus a Cicerone ep. II 6 commemoratus suo nomine hic a poeta illudatur.

Deinde ad serm. I 2, 25 *Maltinus tunicis demissis ambulat* Porphyrio adnotat: *Sub Maltini nomine quidam Maecenatem suspicantur significari. Ab re tamen nomen finxit; malta enim malacos dicitur. Porro autem tunicis demissis ambulare eorum est, qui se molles ac delicatos velint haberi.* Acro personatus ad eundem locum: *Composuit nomen quasi [a] Μαλακός Malchinus. Maecenatem tangit, varicosus enim fuit quidam delicatior et solutus.*

Quae res haud minus inepte ficta est quam illa. Cum Maltini cognomen Romanum paulo rarius (CIL IX 5073) scholiastis ignotum esset, aliam nominis interpretationem cum Horatii verbis congruentem a vocabulo Graeco *μαλθακῷ* duxerunt; neque mirum est, cum de mollitie agatur, statim Maecenatis in mentem venire, qui *quomodo ambulaverit discinctus, quam delicatus fuerit, quam vitia sua latere noluerit,* Seneca in epistula 114 § 4 notius esse affirmat quam ut narrari debeat. Neque vero ex Horatii verbis concludi potest Maecenatem carpi; quanam autem causa poetam adductum esse putemus, ut, cum sedecim homines in hoc sermone veris nominibus illuserit, Maecenati soli parceret, quippe qui inter amicos illius tum, cum hunc sermonem scripsit, nondum receptus fuerit? Itaque Maltinum verum nomen esse nullo modo negari potest.

Tertium exemplum Bentleius laudat Persii locum, cuius in vita „de commentario Probi Valerii sublata“ haec narrantur: *Cuius (Lucilii) libri principium imitatus est sibi primo, mox omnibus detrectaturus cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem principem illius temporis inculpaverit. Cuius versus in Neronem cum ita se haberet: „auriculas asini Mida rex habet“, in eum modum a Cornuto ipso tantum nomine mutato est emendatus: „auriculas asini quis non habet?“, ne hoc in se Nero dictum arbritraretur.*

Non id hoc loco nostra interest, num Persius re vera illo versu I 121 sub allegoria Midae Neronem tangere voluerit, sed illud refert, quam diversa haec res sit ab Horatii Villio et Maltino. Neque enim nomen alio nomine mutatum, sed appellativum (nomen regis) sublatum est; neque a poeta ipso, sed ab eo, qui poeta mortuo librum edidit; neque ut parceretur hominibus, qui in carmine depingerentur, sed quod editor sibi vel propinquis timebat. Quibus argumentis consideratis sequitur, ut haud ita bene vir doctus fecerit, quod in adnotatione Horatiana, qua consuetudinis nominum mutandorum rationem exposuit, Persii quoque locum commemoravit.

Quodsi argumenta adhuc prolata breviter astringimus, apparet poetas veteres neque in quolibet genere litterarum neque quorumlibet hominum nomina in carminibus commutasse, sed nisi in elegis amicarum celandarum causa fictis nominibus non usos esse. Quare, ubicumque pro veris nominibus ficta substituta esse legimus, semper examinandum est, num scholiasta dignus sit, cui fides habeatur.

Quibus rebus expositis transeamus ad duo nomina examinanda, de quibus Horatii enarratores similia adnotaverunt.

Canidia. In neminem Horatius acerbiorem iram rabiemque effundit quam in Canidiam, veneficam illam anum, quam serm. I 8 in hortis Esquilinis prope Priapi statuam artes magicas exercentem, ep. 5 puero rapto mortem minitantem introducit, ep. 17 quasi cinctus artibus magicis veniamque procacitatis et contumeliae petens eo vehementius magna cum ironia dissimulantiaque illudit, praeterea ep. 3, serm. II 1, 48, II 8, 95 in transitu vellicat. De hac anu turpissima digna est quae afferatur Porphyrionis adnotatio ad ep. 3, 8 (cf. ad ep. 5, 43, serm. I 8, 24): *Sub hoc Canidiae nomine Gratidiam Neapolitanam unguentariam intellegi vult, quam ut veneficam Horatius semper insectatur. Sed quia non licet probrosum carmen in quemquam scribere, idcirco fere poetae similia adfingunt. Sic et Vergilius in Bucolicis pro Cytheride Lycoridem appellat.* Alii scholiastae Horatium ob canitiem capitis ei hoc nomen dedisse affirmant.

Hominibus leviter rem tangentibus Porphyrionis opinio nonnullis argumentis adiuvari videbitur. Fuit enim Romae gens Gratidia, quae Arpino originem ducebat; quinque homines ex hac gente ortos Münzer RE VII 1840 enumerat. In titulis quoque urbanis nomen occurrit; tres libertos Gratidiorum tresque libertas invenimus CIL VI 19112—14. Ita omnia cum enarratoris testimonio congruere videntur; aliis autem argumentis, ne in scholio acquiescamus, admonemur.

Primum ceteri homines in iambis 5 et 17 commemorati veris nominibus appellantur.

Nomen **Foliae,** quam sidera lunamque carminibus magicis caelo deripere poeta arguit (ep. 5, 42), verum nomen Romanum est. Gens enim patricia ita appellabatur, cuius vestigia usque ad quartum a. Chr. n. saeculum persequi possumus (Münzer RE VI 2828, 1—3). Posteriore aetate permultis hominibus inferioris ordinis hoc nomen fuisse apparet ex inscriptionibus CIL VI 18507, 18508, 18510, 18511, *IV 915,[1]) VIII 1933, 3651, IX 1455, III 80, X 594, 2458, 2572, 6790, XIV 2548, 2699, 3913; libertini libertinaeque VI 18504, 18505, 18506, 18509, 35317, X 2459, XIV 358 I 1, 4, 9, 10, 12 (quinque diversi).

Veiae nomen in his titulis occurrit: V 6943, VI 28425—27 (diversae), VIII 684, X 5258, XIV 1456, praeterea masculinum IV 1134, 1430, 1418, V 1356, VI 28422—24, 28427, X 996, 806, 890, 901, 8056, 369, XII 5682, 118; XIV 250 IV 40, 252 I 5, 252 I 17, 255 II 39, 699, 1456, 1739.

Saganae nomen, quae etiam in serm. I 8, 25 Canidiam artes magicas exercentem adiuvat, quantum ego scio, in titulis et apud scriptores ignotum est. Porphyrio ad serm. I 8, 25 adnotat: *Memini me legere apud Helenium Acronem Saganam nomine fuisse Horati temporibus Pompei sagam senatoris, qui a triumviris proscriptus est.*

Pactumeio quoque nomen vere Romanum est, quod saepe in inscriptionibus et libris invenimus. Imprimis secundo p. Chr. saeculo haec gens valde floruit.[2]) Sed iam anno a. Chr. n. 106 nomen obvium est in titulo Capuano libertini alicuius: CIL I² 678; praeterea I ² 688, VI 23698—23701, 36031—33, ut panca afferam exempla.

Varum autem nomen vere Romanum esse pudet exemplis probare, quae harena inter Jovis oraculum Battique sepulcrum sita paene crebriora sunt.

Quos homines suis nominibus poeta carpit. At Canidiorum quoque gentem eamque satis magnam Romae fuisse ex scriptoribus titulisque notum est. Praestant Canidius (Crassus?), qui anno 57 cum Catone in insula Cypro fuit (Münzer RE III 1475, 1), et P. Canidius Crassus, qui cum Antonio necessitudine coniunctus in pugna Actiaca exercitui praefuit, postea autem Antonio mortuo ab Octaviano supplicio affectus est [3]) (ibid. 2). Praeterea nomen in titulis diversarum regionum occurrit: CIL II, 111 Canidia Albina (ordinis senatorii), V 1145, VI 9177 (duo diversi), VI 14322 (duo), 14323 (tres), 28667.

---

1) Numeri asterisco signati incertae sunt lectionis.
2) P. de Rhoden, pros. imp. Rom. III 24—30.
3) Itaque Th. Plüss, Das Jambenbuch des Horaz, Leipz. 1904, et iam antea Rührmund, Z. f. G., 1861, 144 f. sub Canidia Cleopatram intellegendam esse opinati sunt.

XI 4755, VIII 2837. Pap. Berol. 1083, CIG 3507 (Lydia) *Κανιδία Βάσση*, CIG 3152 (Smyrn.). Neque vero magni aestimabantur. Cic. epist. X 21, 4. „milites . . . corrupti . . . per eos, qui praesunt, Canidios Rufrenosque et ceteros.“ Sen. suas. 7, 3: „Si servatur Cicero, vivet inter Ventidios et Canidios et Saxas“ (sc. homines ignavos). Ceteros igitur homines in his iambis commemoratos quoniam veris nominibus prostituit, quidnam causae poetam habuisse putemus, cur Gratidiae nomen mutaret? Quid? Hoc quoque Canidiae nomen nonne verum esse credemus?

Deinde Canidiam in solis sermonibus et iambis nominat. Neque vero in sermonibus et iambis poetas habuisse, cur nominibus fictis usi hominibus, quos aggrediebantur, parcerent, supra exposuimus. Circa annum 158 Apuleius, cum in apologia c. 10 (p. 12, 2 Helm) „C. Lucilium improbaret, quod Gentium et Macedonem pueros directis nominibus carmine suo prostituisset“, quasi poetam excusaturus addidit: „quamquam sit iambicus.“ Unde facile apparet omnibus temporibus poetarum iambicorum morem consuetudinemque fuisse, ut homines directis nominibus carperent, et, ut ita dicam, iam illo genere litterarum poetarum audaciam excusari et purgari.

Ne illud quidem cogitari potest Horatium, ut Cornutum nimio Neronis timore commotum Persii versiculum mutasse accepimus, ita Gratidiae metu perterritum verum nomen celasse. Quidnam Horatio a Gratidia timendum erat? Num, ne ipse ut miserrimus ille puer in scrobe defoderetur? Qua igitur re eum adductum esse putemus, ut tecto nomine uteretur? Certe mirum atque absurdum esset Canidiam ep. 17, 59 queri, quod poeta nomine suo urbem implevisset, si flagitia et scelera carminibus vulgasset, rectum nomen non vulgasset.

Tum quaerentibus nobis et considerantibus, quomodo elegorum poetae nomina mutaverint, id in aperto est, semper pro nomine Latino aliquod Graecum, plerumque ex Apollinis cultu sumptum substitutum esse. Ita Catullus Clodiam suam Lesbiam, Ticidas Metellam Perillam, Propertius Hostiam Cynthiam, Tibullus Planiam Deliam, aliam Nemesin, Varro Atacinus ignotam amicam Leucadiam falsis nominibus appellaverunt pro Latinis Graeca eiusdem syllabarum numeri et quantitatis carminibus inserentes.[1]) Sed inauditum est et incredibile ullum poetam nomen Romanum altero Romano celasse cum alibi tum in maledico carmine. Quid? Horatius, si vere id

---

[1]) Cornelii Galli amica, Volumnii senatoris liberta, cum, ut erat mima, nomen Cytheridem haberet, huic poetae nomen Graecum Graeco mutandum fuit Cytheridis Lycoride.

fecisset, nonne homines innocentes maximorum scelerum arguisset, cum anus noxia impetus expers fuisset?

Denique Porphyrio „probrosum carmen in quemquam scribere nemini licere" duodecim tabularum leges secutus affirmat. Quid vero? Lucilius, Catullus, Horatius nonne permulta mala carmina occentarunt? Vergilium quoque Porphyrio huius rei testem allegat, quod in Bucolicis pro Cytheride Lycoridem appellasset. Neque vero Vergilii Bucolica carmina probrosa sunt, neque Vergilius nomen mutavit, sed mutatum ex Galli libris hausit.

Quibus argumentis facere non possum, quin Porphyrionis auctoritatem valde minui existimem; omnia autem, quae praeterea de Canidia memoriae tradidit, unguentariam eam fuisse Neapolitanam, ex carminibus ipsis (ep. 5, 43, 59/60; 17, 13) conclusisse potest.

Si autem, id quod alii commentatores affirmant, eo consilio Canidiae nomen elegisset, ut canitiei mentione turpis senectutis famam atque maculam feminae aspergeret, certe illa canities in carminibus tam luculente commemoranda fuit, ut omnes nominis vim et rationem facile intellegere possent. Sed tantum abest, ut poeta nominis significationem interpretetur, ut ne uno quidem verbo canorum crinium mentionem faciat. Ironia autem, quam nemo intellegere potest et perspicere, inepta atque insulsa est.

Quare Canidiam verum veneficae nomen fuisse, Gratidiae autem nomen ab aliquo enarratore, qui Horatium illam anum suo nomine tam acriter aggressum esse credere noluit, fictum esse censeo; quod nomen ut cum Canidia coniungerent, posteriores canitiei fabulam ineptam finxerunt.

Licymnia. c. II 12. Licymnii vel Licymniae nomen, quod a Licymna, arce Tirynthia, derivandum est (Roscher II 2, 2047), nisi in fabulis et historia non occurrit. Licymnius, Electryonis filius, ex fabulis de Hercule narratis notus est; Euripides (fr. 473—479 TGF² 507—509 N.) et Xenocles TGF 770 tragoedias de eo scripserunt. Rhetor aliquis huius nominis, Gorgiae discipulus, ab Aristotele (rhet. III 2, 13; III 13, 5) commemoratur, tertius est Licymnius Chius *ὁ διθυραμβοποιός* (Arist. rhet. III 12, 2) et *μελοποιός* (Parthen. 22); quartus mathematicus quidam (Vitr. VII 5, 5—7 p. 161, 1. 18 Krohn).

Cur Horatius in carmine II 12 hoc nomine utatur, facile intellegitur, cum poeta ipse de dulcibus dominae cantibus locutus nominis rationem interpretatus sit. Saepissime enim, id quod infra fusius exponemus, nomina in carminibus occurrentia ita eligit, ut cum carminum argumentis congruant velut Sybaris c. I 8, ut unum nunc afferam exemplum nemini ignotum. Inde apparet Horatium Licymniae nomen non a Tirynthis arce, Li-

cymna, sed falso a vocibus Graecis λιγύς et ὕμνος derivasse, quod idem duobus fere saeculis post facere videmus Alciphronem sophistam, qui in epist. III 12 histrionem tragicum ob vocem claram et sonoram laudandum Licymnium appellat, quem parasitus in convivio pessime tractatus postea *propter insuavem vocem orthocoryzum* ab omnibus parasitis vocatum iri affirmat.

Licymniam carm. II 12 celebratam vero nomine fuisse Terentiam, Maecenatis uxorem, Pseudacro ad serm. I 2, 64 memoriae tradit p. 24, 15 Keller: *Alibi „me dulcis dominae Musa Licymniae" pro „Terentiae" et „Malchinus tunicis demissis ambulat" pro „Maecenas"*. De hac nominum permutatione inde a Bentlei adnotatione ad c. II 12, 13 permulti viri docti in utramque partem disputaverunt. Inepta certe opinio eorum est, qui Licymniam Horatii ipsius amiculam esse arbitrantur (cf. v. 19/20). Illa quoque opinio improbanda est Licymniae nomen a gente Licinia derivatum esse, cui Terentia, L. Licini Varronis Murenae et Proculei soror, ante adoptionem adscripta erat.

Examinaturis nobis scholiastae fidem primum id considerandum videtur, nominum commutationem non ad carmen II 12, quod est de Licymnia, sed ad serm. I 2, 64, qui est de Maltino, adnotari. Adnotationem autem ad Maltinum pertinentem falsam esse supra exposuimus; itaque fieri non potest, quin Licymnia in eandem suspicionem vocetur. Saepe enim commentatores veteres horrore vacui, ut ita dicam, adductos nomina privata et obscura, quae in carminibus inveniebantur, falso interpretatos esse constat. Augetur autem suspicio eo, quod, ubicumque alias nomina mutata esse accepimus, poetae elegiaci nomina suorum amorum celaverunt; feminam autem quasi alienam, non a poeta ipso adamatam nomine ficto appellari — excepto hoc Horatii exemplo — mihi quidem ignotum est. Sed aliis argumentis commentator defenditur. Poetam in carm. II 12 non de qualibet muliercula, sed de matrona summo loco nata agere Bentleius suo iure affirmat. Quodsi Catullus, ut amicae nobilissimae parceret, nomen mutavit, eadem nominis celandi causa Horatio quoque tribuenda et concedenda est, si Maecenatis uxorem carmine celebrare in animo habuit. Deinde in sermonibus et iambis Horatium nomina finxisse supra negavimus; in carminibus autem concedendum est eum fingere potuisse poetas elegiacos secutum, cum inter carmina lyrica et elegiaca non tantum discrimen sit quantum inter elegiam et iambos. Praeterea fieri potuisse considerandum est, ut unus ex elegorum poetis, qui tum fuerunt, Terentiae nomen Licymniam in carminibus daret, Horatius autem inde nomen reciperet eodem modo quo Vergilius Lycoridis nomen. Quibus argumentis consideratis facere non possum, ut eadem animi fiducia, qua eram

in Canidiae exemplo, de Licymnia quoque scholiastae fidem denegandam esse censeam; immo iudicium cohibendum esse existimo.

Caput II.

De nominibus Romanis selectis.

Barine. c. II 8. De hoc nomine me multum novi prolaturum esse sperare non possum, postquam viri doctissimi Keller (Mus. Rhen. XIX 1864, 212), Usener (ib. XXIV 1869, 341 = Kl. Schriften II 230), Buecheler (ib. XXXVII 1882, 229) de eo disputaverunt. „Barine" enim et „Varine" eadem fere auctoritate libri exhibent, nisi forte qui illam formam praebent, maiore fide digni sunt. Utraque forma defendi potest.

Improbandae sunt priorum interpretum opiniones, qui Barinae nomen a voce *βάρος* (ut *ἀλγεινός* ab *ἄλγος*) vel a voce *βαρῖνος* genus quoddam piscium significante vel a *βᾶρις* ductum esse putaverunt. Optime enim Usener nomen a Bario, oppido Apuliae (serm. I 5, 97 *Bari moenia piscosi*) derivatum esse censuit. Nomina propria, quae ab hominum patria originem duxerunt, apud Graecos [1]) usitatissima, apud Romanos [2]) non rara sunt. Varro de l. l. VIII 83: *Habent (sc. nomina) plerique libertini a municipio . . . ut ab Faventia Faventinus, ab Reate Reatinus, sic a Roma Romanus.* Hoc ipsum nomen sive cognomen, de quo agimus, in titulis bis occurrit CIL VI 32522 b I 10 et IX 287. Nomini autem Latino exitum Graecum poetam dedisse, ut Graecam puellam denotaret, minime mirum est, cum poetarum opera et usu, qui feminarum Graecarum nomina omnibus temporibus non solum Latine, sed etiam Graece, nonnulla nisi Graece non terminabant,[3]) inde ab Augusti aetate factum sit, ut Romanarum quoque feminarum nomina Graece cadentia fingerentur, ut Aeliane, Juliane, Flaviane.[4]) Quem autem facilius adduci potuisse putemus, ut nomen Latinum fine Graeco instrueret, quam illum

---

[1]) Fr. Bechtel. Die historischen Personennamen des Griechischen bis zur Kaiserzeit. Halle 1917 p. 536—562.

[2]) Guil. Schulze. Zur Geschichte lateinischer Eigennamen. Abh. d. Göttinger Ges. d. Wissenschaften philol. hist. Klasse neue Folge V 5. Berlin 1904 p. 522sq. p. 89 n. 3.

[3]) Neue-Wagener, Formenlehre der lat. Sprache I³ 68—75.

[4]) Neue I 75 ex inscriptionibus 42 exempla collegit.

poetam, in cuius libris 34 alia nomina[1]) eodem modo in „e" exitum habent?

Varinus nomen gentile Romanum est, quod in titulo Reatino IX 4739 occurrit. Usitatior altera forma, Varinius, est (Schulze l. l. 248). De exitu Graeco hic idem dicendum est, quod supra exposuimus. Haec Varinae forma defendi videtur annominatione quadam, quam Keller invenit. (Mus. Rhen. XIX 1864, 212): „Die Hetäre sollte sich als Avarine angeredet zwar nicht lesen, aber hören müssen." Cui opinioni bene convenit, quod poeta in fine carminis parcorum senum puellae avaritiam et rapacitatem timentium mentionem facit. Talem autem iocum ab Horatii ingenio non abhorrere cum alibi tum in hoc carmine, quod hilaritate quadam aspersum esse omnes interpretes consentiunt, P. Cauer aliis exemplis demonstrare conatus est.[2]) Ceterum Keller ipse postea sententia mutata in editionibus et epilegomenis p. 138 ***Barine*** scripsit.

Praeterea hoc considerandum puto. Ut apud Graecos littera β ex media paulatim spirans labiodentalis sonans facta est, quam ob rem permulti scriptores Graeci ab Augusti aetate nomina Romana a littera v ordientia per litteram β transscribebant, ita apud Romanos quoque sequiore tempore media B mollita et spiranti V similis facta est.[3]) Cuius rei testimonia prima in titulis secundi p. Chr. n. saeculi invenimus, permulta deinde ab initio saeculi quarti. Ita fieri potuit, ut scriba indoctus auribus nimis fretus aut B pro V aut V pro B scriberet.[4]) Cum autem nomen Barini ab oppido ductum rarum fuerit, nomen Varini vel Varinii similiaque nomina a syllaba ‚Var-' vel ‚Ver-' incipientia usitatissima, equidem scribam aliquem nomen Varinae falso pro Barina scripsisse facilius mihi persuadere possim quam ut contrarium factum esse credam.

Cinara. c. IV 1, IV 13. Cinara nomen herbae cuiusdam est (Athen. II 70a—71c), quam Graeci *κινάρα* vel *κυνάρα*, Romani carduum sativum appellabant, nos Artischocke nominamus. Insula quoque maris Aegaei ab hac herba ibi abundante nomen accepit. Ad homines significandos duo scriptores hac

---

[1]) H. Schütz, Q. Horatius Flaccus, Oden u. Epoden. [2] Berl. 1880. p. 422 „Exkurs über die griechischen Nominalendungen bei Horaz".

[2]) P. Cauer, Wort- und Gedankenspiele in den Oden des Horaz. Leipzig 1892, p. 35 sq.

[3]) E. Seelmann, Die Aussprache des Latein. Heilbronn 1885, p. 239.

Kühner-Holzweissig, Ausführl. Grammatik der lat. Sprache[2] 1912. I p. 4.

[4]) Quam incertus et lubricus usus fuerit, inde concludi potest, quod Adamantius grammaticus de b muta et u vocali libellum scripsit (Keil, Grammatici Lat. VII. 165 sq.).

voce utuntur, Horatius (epist. I 7, 28; I 14, 33; carm. IV 1, 4; IV 13, 21/22) et Propertius (c. IV 1, 99). Alibi in titulis et libris Cinarae nomen ignotum est.

De personis in Horatii carminibus occurrentibus quamvis dissentiant interpretes, Cinaram veram personam esse veroque nomine a poeta vocari omnes consentiunt, primum, quod Cinarae unius ex omnibus amicis in carminibus commemoratis in epistulis quoque mentionem facit, in quibus veros homines veris nominibus appellare solet, deinde quod Cinarae breves annos a fato datos esse affirmat, id quod, si ficta esset persona, inficetum atque illepidum esset, denique, quod mortuam commemorat, cuius verum nomen cur celet non iam est. Quae argumenta idonea videntur, quibus fidem habeamus. De Cinara autem nihil scimus, nisi quod ex Horatii carminibus apparet.

Quod Propertius idem nomen puellae alicui imponit (IV 1, 99), vix fieri potest, ut duo poetae eiusdem aetatis cum eodem Maecenate amicitia coniuncti nomine nusquam alias terrarum, nullis aliis temporibus occurrente ita utantur ut alter alterum ignoret. Quare, cum Horatii epistularum liber primus, ubi Cinara primum commemoratur, anno 20, Propertii liber quartus circa a 16 editus sit, dubitari nequit, quin hic nomen ex illo sumpserit.

Alia quaestio est, utrum apud Propertium quoque Cinara vera persona sit, h. e. Horatii amica iam pridem mortua (Buecheler, Mus. Rhen. XXXIX 426), an Propertius nomine ex Horatio hausto ad arbitrium utatur. De hac re omni caremus fundamento certe iudicandi. Inter Horatium et Propertium simultatem aemulationemque mutuam fuisse permulti viri docti opinantur (Teuffel [6] II p. 5, 19, § 246), quod neuter alterius mentionem facit, quamquam uterque Vergilium laudibus effert. Quin in epist. II 2, 90 sq., quam anno 18 scriptam esse Vahlen et Kießling probaverunt, Horatius Propertium carpere videtur, qui Callimachum exemplum sibi proponebat (II 1, 39; 34, 31; III 1, 1; 9, 43). Itaque, cum Propertius in carmine primo libri quarti circa annum 16 editi Callimachum Romanum se appellet (IV 1, 64), facile adduci possim, ut ad Horatii impetum hoc versu eum respondere credam. Quae cum ita sint, etiam cogitari potest Propertium Cinarae nomen ex Horatii epistulis omnibus, qui tum fuerunt, notum per iocum puellae ex utero laboranti dedisse, ut aemuli indignationem moveret. Sed ea, quae in hac libelli particula exposui, coniecturae magis quam certis argumentis debentur.

Ligurinus. c. IV 1, IV 10. Ligurini cognomen Romanum a patria Liguria ductum (cf. Grattius Cyneg. 510: . . . *aut*

Ligurinas desuper Alpes) in titulis exspectatione rarius est. Bis inveni CIL III 4275 et III 6313 (Sept. Sev. imp.); praeterea Cicero ad Atticum V 20, 6 Ligurinum quendam nobis ignotum commemorat. Incerta lectio est IG XII 9, 1044$_2$ (Chalcis, saec. III): *Λιγυρ[ῖ?]νος*. Bechtel (Histor. Namen 497) nomen a voce clara derivandum esse censet. Cui opinioni assentiri non possum, cum praeter hanc lectionem incertam nomen in titulis librisque Graecis non inveniatur. Si autem Martialis III 44, 45, 50 Ligurinum poetam indoctum illudit, quod amicos ad cenam vocatos pessimis versibus recitatis excruciet, hoc nomen *(λιγύφθογγος)* iisdem de causis fictum videtur, quibus adducti Horatius puellam clara voce canentem Licymniam, Alciphro histrionem Licymnium appellaverunt (cf. p. 12).

Apud Horatium (c. IV 1, IV 10) Ligurinus puer formosus est idemque superbus, quem poeta de caduca florentis aetatis pulchritudine graviter admonens ad amorem pellicere conatur. In hac re neque hoc neglegendum videtur, quod Ligurinus nisi in quarti libri carminibus, quae poeta *iam durus circa lustra decem* natus scripsit (IV 1, 6), non commemoratur, neque illud, quod in his carminibus exempla Graeca libere exprimenda poetam sibi proposuisse nemo non videt.[1]) Ligurini nomen hic a voce liguriendi (leckerhaft sein) derivandum esse, ut nomine ipso puer delicatus denotetur, C. W. Nauck[2]) et E. Rosenberg[3]) censent. Sed in voce ligurio vel ligurrio secunda syllaba producitur, quae in Ligurino brevis est. Neque de cibis, quos puer ligurriat, poeta hic loquitur neque obscaenus ille vocis sensus (λείχειν, λειχάζειν) aptus est. Quare valde dubito, num haec interpretatio recta sit.

Ligurinum personam poetae vi imaginandi fictam esse complures editores existimant eo scilicet consilio adducti, ut Horatium amoris puerorum turpi crimine exsolvant; Lucianus autem Mueller[4]) veram personam esse ex nomine Romano concludit. Atque mirum est poetam hic nomine Latino uti, cum alibi in carminibus amatoriis Graeca praeferat velut Lyciscum, Lycidam, Gygem, Nearchum, Telephum, Cyrum, Sybarin, multos alios. Neque tamen in Muelleri opinione acquiescere possumus. Nam carmina I 11, III 12, IV 10 ea re similia

---

[1]) Locos similes collegerunt:
Mitscherlich. Qu. Hor. Flacci opera. Lips. 1800.
O. Keller. Qu. Hor. Flacci opera I[2] Lips. 1899.
Schütz et Kießling/Heinze ad l.

[2]) C. W. Nauck. Des Qu. Horatius Flaccus Oden u. Epoden f. d. Schulgebrauch erkl. [13] 1889.

[3]) E. Rosenberg. Oden u. Epoden für den Schulgebrauch. [4] Gotha 1904.

[4]) Lucian Mueller, Oden u. Epoden, Petersb. 1900.

sunt, quod versibus paulo difficilioribus, Asclepiadeis maioribus et Ionicis quos vocant a minore, composita sunt. Homines in illis primi et tertii libri carminibus occurrentes a poeta fictos esse et primo obtutu apparet et infra probabitur; cur autem in hoc carmine IV 10 aliter rem se habere putemus? Itaque novam coniecturam proferre andeo.

Horatius in hoc carmine cum alia tum pueri crines venustos Graecorum morem secutus laudat, quibus fugiente inventute futurum sit ut careat: *et quae nunc umeris involitant, deciderint comae* (v. 3). Cassius Dio ad annum 740/14 — maximi momenti mihi videtur hic annus, cum circa a. 13 Horatius carminum librum quartum confecerit — haec memoriae tradit LIV 24, 3: *Τότε δὲ οἵ τε Παννόνιοι νεωτερίσαντες αὖθις ἐχειρώθησαν καὶ αἱ Ἄλπεις αἱ παραθαλασσίδιοι ὑπὸ τῶν Λιγύων τῶν κομητῶν καλουμένων ἐλευθέρως ἔτι καί τότε νεμόμεναι ἐδουλεύθησαν.* De rebus igitur Ligurinis tum cotidianis fere sermonibus homines collocutos esse consentaneum est. Quis autem erat, qui omnibus nuntiis ex regionibus septemtrionalibus allatis magis animum intenderet quam ille poeta, a quo, ut Tiberii et Drusi victorias carminibus celebraret, tum ipsum Augustus petiverat? Idem poeta eodem fere tempore pueri delicati crinibus pulchris decori imaginem coloribus ex poetis Graecis sumptis depingere in animo habuit; Ligures autem, de quibus omnes Romani tum loqui solebant, propter capillos longos et spissos tam clari fuerunt, ut nomen inde acciperent;[1]) quid igitur commodius fuit et temporibus aptius quam huic puero nomen Ligurinum dare, praesertim cum hoc nomen ad metri necessitatem aptissimum sit? Itaque carmen IV 10 anno 14 tribuendum esse pro certo habeo. Carminis IV 1 fine, quo Ligurini obiter mentionem facit, poetam incitatum esse, ut, quod leviter ibi attigisset, uberius exponeret, L. Müller et G. Friedrich[2]) existimant. Equidem de hac opinione decedens Horatium carmen IV 1 anno 13 paulo ante libri quarti editionem ea mente panxisse arbitror, ut argumenta, quibus commotus iterum carminibus lyricis componendis operam dedisset, exponeret, et hunc finem, qui est de Ligurino, adseruisse, ut animos legentium ad carmen IV 10 anno superiore compositum praepararet.

---

1) cf. Lucan. Pharsal. I 442:
et nunc tonse Ligur, quondam per colla decore
crinibus effusis toti praelate Comatae.

Plin. nat. hist. III 47: *Igitur ab amne Varo . . . Alpes populique Inalpini multis nominibus, sed maxime Capillati.* ib. III 135: *et Turi Liguribus orti, Bagienni Ligures et qui Montani vocantur Capillatorumque plura genera ad confinium Ligustrici maris*

2) Gustav. Friedrich. Q. Horatius Flaccus. Philol. Untersuchungen. Leipzig 1894 p. 185/6.

Quae opinio certe falsa esset, si Mitscherlich c. IV 10 ad iuvenilia Horatii meletemata poetica, quibus Graecos poetas plane exprimendos sibi proposuisset, referendum esse recte iudicasset. Sed Horatium libro secundo viginti, libro tertio triginta carmina eo consilio complexum esse, ut solidam summam haberet, non difficile est ad intellegendum. Quodsi iam tum, cum tres libros priores edidit, c. IV 10 ut meletema iuvenile in scriniis habuisset, sine dubio hoc carmine primi libri numerum (38) complevisset. Intra annos autem 23 et 17 se philosophiae deditum carmina non conscripsisse ipse testis est (epist. I 1, 10):

Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono;
quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis in hoc sum.

et epist. II 2, 141:

nimirum sapere est abiectis utile nugis
et tempestivum pueris concedere ludum
ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
sed verae numerosque modosque ediscere vitae.

Sequitur, ut cum cetera libri quarti carmina tum c. IV 10 intra annos 17/13 conscripta sint. Inter hos vero quinque annos 14 aptissimus est, cui carmen tribuamus.

Postumus. c. II 14. De hoc nomine auctor libri de nominibus haec narrat (Valer. Maxim. ed. Kempf p. 589, 10): *Quae olim praenomina fuerunt, nunc cognomina sunt, ut Postumus, Agrippa, Proculeius, Caesar.* Ita Postumus praenomen est CIL I² 1390, cognomen CIL X 787, alibi saepissime in titulis. In Prosopographia imperii Romani (ed. Rohden-Dessau Berol. 1898) III 91 sedecim Postumi enumerantur.

Postumum (carm. II 14) personam ab Horatio fictam esse, ut non unum hominem, sed hominum speciem togatae in modum significaret, ex nominis reduplicatione apud scriptores Romanos rarissima *(ah Corydon, Corydon* Verg. ecl. 2, 69) aliisque argumentis Buecheler (Mus. Rhen. XXXVII, 233) concludit, cuius opinionem Heinze⁶ ad c. II 14 et L. Mueller improbant. Similis reduplicatio apud Horatium non invenitur, nisi forte comparandum est illud c. IV 13, 1: *Audivere, Lyce, di mea vota, di audivere, Lyce.* Certe nomen, si fictum esset, cum carminis argumento bene congrueret, quo poeta monet, ut vita fruamur, priusquam terra relinquenda sit. Sed inficetum esset illud „amice" v. 6. Praeterea, ubicumque alias Horatius carmina ad homines nominibus Romanis appellatos misit, veros homines in animo habuit excepto illo Ligurino; fictis personis velut Thaliarcho I 9, Pyrrho III 20, Xanthiae II 4 nomina Graeca dare solet. Itaque Buecheleri opinionem antea secuto mihi nunc Heinze Postumum verum hominem putandum esse per-

suasit. Horatii memoria commotus Martialis carmini similis argumenti (V 58) Postumi nomen inseruit, quo non veram personam significari ex II 23 apparet.

Caput III.

De nominibus ex fabulis sumptis.

Nomina, quae ad fabulas referri possunt, apud Horatium plurima occurrunt. Hoc loco de iis disputandum erit, quae poeta, quantum nos scimus, non certis scriptoribus certoque generi litterarum, sed vulgari communique fabularum scientiae debet.

Inachia. ep. 11; 12. Fluviorum nomina a Graecis saepissime servis, interdum ingenuis imponebantur. Praeter 24 nomina, quae Bechtel (Hist. Namen 555) enumerat, cum titulos perlustrarem, haec mihi innotuerunt: *Ὀρόντας* CIG 2060, IGR I 859, alibi, *Ῥόδανος* IG XIV 2412, 3 Rhodanus CIL II 2936, 248 alibi, Halys CIL V 2865. Neque Inachi nomen a prisco Argivorum rege et fluminis deo ductum deest: *IG XIV 1568 (incertum), Paton-Hicks, Cos *218, 4; Fraenkel, Perg. 188, 213. CIL II 59 = 5186, 4457, V 1100, 1460, 5151 (lib.) cf. A. P. VII 371, 6: *Ἴναχος, εὐπειθὴς Κριναγόρου θεράπων.* Ab hoc nomine aliud nomen *Ἰνάχιος* derivatur ut *Σκαμάνδριος* a *Σκαμάνδρῳ.* Sed hoc nomen rarissimum videtur fuisse; semel inveni CIL V 8766 (Concordiae): *Εἰναχίῳ ἀειμνήστῳ.* Plerumque *Ἰνάχιος* adiectivum est, etsi nonnullis locis substantivi locum prima specie obtinere videtur ut apud Stephanum Byzant. s. v. *Ἰναχία* et Paulum Silent. A. P. V 262.

Io, Inachi filia, quam a Iove in vaccam mutatam et a Iunone oestro percitam esse fama est, et a poetis Graecis et a Romanis saepe Inachia vel Inachis appellatur.[1]) Isidi quoque cognomen *Ἰναχίη* est.[2]) Praeterea poetae Romani hoc adiectivo patronymico interdum latiore significatione utuntur pro „Argivo" et latissima pro „Graeco" (Verg. georg. III 153, Aen. VII 286, XI 286).[3])

---

[1]) De hac fabula clarissima praeter alios scripserunt Callimachus (*Ἰοῦς ἄφιξις*) et Licinius Calvus (Io). Saltatione quoque mimica ante oculos poni solebat teste Luciano de salt. 43.

[2]) Callim. epigr. 57, 2 = AP VI 150.
Kaibel, Epigrammata Graeca ex lapidibus conlecta. Berol. 1878 981, 2 primi fere saeculi.

[3]) J. van Royen, De vocabulis patronymicis et ethnicis a poetis Latinis per metonymiam nominum propriorum loco positis (Diss. Halis Sax. 1900) p. 82.

Horatius duobus locis Inachiae mentionem facit, in carmine sordidissimo (ep. 12), quo vetulam libidine incensam Archilochi in morem illudit et carpit, et in ep. 11, quam elegiam esse iambis compositam Leo [1]) ostendit; neque tamen quicquam certi de ea accipimus. Poetam hoc nomen rarissimum ex vitae veritate sumpsisse verisimile non est, quod nisi posteriore aetate non occurrit. Ne illa quidem opinio probabilis est, poetam nomen ex Isidis religione, quae tum Romae non ignota erat, mutuatum esse. Nam in proeliis inter Octavianum et Antonium commissis dei Aegyptii Antonium, patriae hostem, adiuvare credebantur; qua re in libello ad Maecenatem misso, quo victoriam Actiacam celebravit, deae peregrinae cognomen amicae suae imponere vix potuit. Ergo nomen ex fabulis Graecis haustum esse apparet.

Deinde quaestio oritur, num vera persona sub hoc nomine lateat. Duobus argumentis hoc veri simile videtur. Primum ep. 11 ad Pettium amicum quendam nobis ignotum misit, qui amoris illius insani arbiter fuit. Quodsi quis Inachiam fictam personam putabit, eundem negare opus erit Pettium verum hominem esse, id quod nemini placebit. Deinde accurate exposuit se tribus annis ante quam ep. 11 scripsisset, Inachiae amore arsisse: *hic tertius December, ex quo destiti Inachia furere, silvis honorem decutit* (5). Qui versus inficeti essent, nisi vera persona sub Inachiae nomine lateret.

Asterie. c. III 7. Apud Graecos nomen rarissimum fuit: Cimonis amica (Plut. Cim. 4), IG XIV 1976 (Romae, saec. III/IV), CIG 7327 (Etrur. in gemma); Ox. Pap. VIII 1146, 18 (saec. IV). Apud Romanos in titulis et libris sequioris aetatis saepe invenitur; *primum signi vice fungitur, non legitur ante annum 339; apud scriptores ethnicos haud ita multi, plures apud Ecclesiasticos* (Thes. ling. Lat. II 947, 35). Itaque Horatium c. III 7 nomen non ex vita, sed ex fabulis hausisse certum est, praesertim cum amatori Asteriae nomen Enipeum imposuerit.

In fabulis duae Asteriae excellunt. Altera, Titanis filia, Latonae soror, cum Iovis amorem sprevisset, in coturnicem, deinde in insulam in mari natantem mutata est, quae postea, cum Latona Dianam et Apollinem ibi peperisset, nomen Delum accepit (Wernicke RE II 1781, 6; Schirmer, Roscher I 655, 1). Permulti poetae fabulam illustrem celebraverunt, quorum clarissimi fuerunt Pindarus (*Παιὰν εἰς Δῆλον*, Ox. Pap. V 841, V 42) Callimachus (hymn. in Delum). Altera, Alcyonei filia, cum patre mortuo in mare se praecipitasset, cum sororibus ab Amphitrita in alcedines mutata est, a quibus tempora alcedonia

---

[1]) F. Leo, De Horatio et Archilocho. Gotting. 1900 p. 10—15.

nomen acceperunt (Wernicke RE II 1782, 9; Schirmer, Roscher I 656, 2). Horatium has fabulas in libro aliquo de commutationibus scripto legisse cogitari potest, cuius generis libellos iam ante Ovidium Corinnam, Boeum, Nicandrum, Parthenium, Aemilium Macrum scripsisse constat. Kießlng poetam hoc nomen Anacreonti (fr. 72 B Ἀστερίς) debere opinatus erat, quam coniecturam Heinze[6] omisit. Improbanda enim est, cum Horatius alibi nomina ex scriptoribus hausta non mutaverit. Equidem nomen ex fabulis sumptum esse pro certo habeo; accuratiora definire non possum. Fortasse idcirco nomen elegit, ut puellae pulchritudinem (*ἀλίγκιον ἀστέρι καλῷ* Z 401; sidere pulchrior ille est c. III 9, 21) denotaret. Cum hac opinione bene congruit varia lectio, a Vollmero in textum recepta, quam solus exhibet Diomedes grammaticus I 525, 6: *Quid fles, Asterie, quem tibi, candida, primo* . . . (cf. c. III 15, 4 *Desine . . . inter ludere virgines et stellis nebulam spargere candidis*). Sed propterea, quod haec lectio facilior est quam illa, quam scribere solemus, vereor, ne Diomedi, non Horatio tribuenda sit.

Enipeus. c. III 7. Enipeus deus ille fluvii Thessalici est, quem Tyro nympha, Salmonei filia, adamasse dicitur (λ 235 sq.). Nomen etiam in flumen Elidis translatum est. Praeter Horatium nullus scriptor homini hoc nomen dedit, ut Statium omittam, in cuius Theb. XI 50 variam lectionem „Enipeus" pro „Enyeus" nonnulli libri exhibent. Sed interdum proprium hominum nomen fuisse apparet ex titulis IG XIV 841 (Puteol.) *Ἐνειπέα Σακέρδωτος ναύκληρον Κωρυκιώτην ἐτῶν κβ* et CIL II 3583 (Dianii Tarrac). *L. Sempronius Enipeus.* Tamen Horatium nomen ex fabulis hausisse persuasum habeo, quod carminis III 7 personas a poeta fictas esse nemo est quin videat.

Tyndaris. c. I 17. Tyndaridis nomen in inscriptionibus Graecis semel inveni IGR III 758: *Τύνδαρις Διοτείμου* (post annum 129), eandem 759 (a. 132).[1] Paulo saepius in CIL occurrit: VI 27890, IX 2540, 3238 lib., X 7321, XII 2717; *5176.

Apud Horatium (I 17) solum Tyndaris puella est; ceteri poetae hoc nomine Helenam vel Clytaemnestram designant. Poeta amicam invitat, ut amatoris protervitatem atque audaciam fugiens ad se in praedium Sabinum veniat ad abundantem frugum ubertatem, in vallem ad cantum invitantem, ad innocentis vini copiam. Tyndaridis nomen elegisse videtur, ut pulchritudinem puellae Helenam adaequantem significaret.

---

[1]) CIG 1211 *Τύνδαρις* nunc = IG IV 732, 24 *Δῶρις* legitur.

Caput IV.

De nominibus ex certis scriptoribus sumptis.

Ibycus. c. III 15. Ubicumque in litteris Graecis et Romanis Ibyci nomen legitur, poeta ille Rheginus, quem grues ulti esse dicuntur, designatur; cf. IG XIV 2485 (Deae Augustae, Gall.) III. f. saec.: *Εἴβυκος. Πραξιτέλης ἐποίει.* CIL VI, 10100: *Ibycus psaltes*. Horatius solus nomen alii homini, Chloridis marito (c. III 15), indidit.

Lyde II 11, III 11, III 28. **Lydia** I 8, I 13, I 25, III 9. *Qui mancipia vendunt, nationem cuiusque in venditione pronuntiare debent; plerumque enim natio servi aut provocat aut deterret emptorem* (Dig. XXI 1, 31 § 21). Itaque multi servi, ubi primum sub corona venierunt, quippe quae *ὄργανα ἔμψυχα* essent (Arist. eth. Nic. 1161 b 4, Polit. 1253 b 32), suis nominibus amissis a patria nova nomina acceperunt.[1]) Quorum in numero Lydi quoque fuerunt, quos haud ita magni aestimatos esse discimus ex comoediae Atticae fragmento adespoto 387 (III 481 Kock): *Λυδοὶ πονηροί, δεύτεροι δ' Αἰγύπτιοι, τρίτοι δὲ πάντων Κᾶρες ἐξωλέστατοι.* Multos servos ex Lydia in Graeciam et Italiam venisse inde cognoscitur, quod Strabo VII 3, 12 hoc nomine exemplo utitur *ἐξ ὧν γὰρ ἐκομίζετο, ἢ τοῖς ἔθνεσιν ἐκείνοις ὁμωνύμους ἐκάλουν τοὺς οἰκέτας ὡς Λυδὸν καὶ Σύρον* . . . Itaque priore aetate Lydi vel Lydae nomen servis, posteriore autem, cum multi manumissi essent, libertinis quoque fuit. Masculina forma in his titulis legitur: IG III 1142, 31 (180 p. Chr.), III 3 app. (defix. tab.) 68 a 9, 106 a 7, 164, 3. XII 8, 280, 23. 281, 4. 355, 15. Coll. 1965, 3 (a. 189), CIL II 567; feminina IG II 768 c III 6, lib. (saec. IV III). III 3898 (*χρηστή*). 3898 b III 1737 (civ. Att. ing.), 3261, 3262. III 3 app. 46, 6. 68 a 5. XIV 1670 (Romae); Inscr. Cos 300; CIL II 1711, lib. 2587, 2656, 1448, 4455 (eadem), V 1287, 1388, 5611. 8429. IX 348 lib.; 4026.

Lydiae nomen multo rarius videtur fuisse, cum in inscriptionibus non occurrat; apud scriptores exceptis illis poetis, de quibus infra agetur, unam Lydiam reperimus, apud quam Paulus apostolus e carcere liberatus moratus est (Act. apost. 16,

---

[1]) Bechtel, Hist. Namen 536 sq.

Bechtel, Die attischen Frauennamen nach ihrem System dargestellt. Gött. 1902 p. 57 sq.

Lambertz, Die griechischen Sklavennamen. LVII. Jahresbericht des k. k. Staatsgymnasiums im VIII. Bezirk Wiens für das Schuljahr 1906/7. Wien 1907 p. 10 sq.

14 et 40). Mascul. Lydius obvium est IG XII 8, 595, 2 et Zosim. I 69, 70.

Scriptores in duobus litterarum generibus Lydorum vel Lydarum nominibus libenter utuntur, in comoedia et in carminibus amatoriis. Iam Magnes (CAF I p. 8 Kock), postea Antiphanes (ib. II 70) in comoediis, quae inscribebantur *Λυδοί* et *Λυδός*, illam gentem propter saltationum Lydicarum fractam mollitiem irrisisse videntur; praeterea apud Plautum[1]) (Bacch. I 2, III 1, 3; Cornic. fr. 6, II 533 Leo), Atilium (fr. 3 CRF[3] p. 38 Ribbeck), Caecilium (Harpaz. II CRF[3] 51) singuli homines Lydi vel Lydae nominati partes comicas egerunt.[2]) His adiungendum est Galli epigramma incerti temporis AP V 49 et Luc. dial. mer. 14.

Inter poetas lyricos Lyden aliquam commemorantes longe clarissimus fuit Antimachus Colophonius, qui de Lydae amicae morte se ipse consolaturus multorum heroum *ἐρωτικὰ παθήματα*, ut Parthenii verbis utar, in elegia enumeravit. Quamquam Callimachus (fr. 74 b II 228 Schneider) et Catullus (95, 10) hoc carmen vituperaverunt, tamen permulti poetae admirati (Asclepiades AP IX 63; Posidippus AP XII 168) et imitati sunt ut Philitas Cous in Bittide et Hermesianax Colophonius in Leontio. Praeterea Lyde occurrit in secundo Moschi carmine bucolico quod Horatius mutatis nominibus imitatus est in carmine I 33. Ne Romanos quidem poetas Antimachi carmen oblitos esse testis est Ovidius (trist. I 6, 1):

non tantum Clario Lyde dilecta poetae,
non tantum Coo Bittis amata suo est.

Valerius Cato Antimachum secutus elegiam, quae inscribebatur Lydia nomine paululum mutato, composuit, quam a poetis Romanis studiose lectitatam esse discimus ex Ticidae versu:

Lydia doctorum maxima cura liber.

Praeterea in ‚Diris‘ et ‚Lydia‘ et in Martialis ep. XI 21, XI 102 Lydiae, in eiusdem ep. I 71 Lyde commemorantur.

Transituris nobis ad Horatii carmina examinanda primum de Heinzii opinione disputare e re videtur, qui ad c. I 8 Horatium Lydae et Lydiae nomina ab Antimacho et Catone mutuari potuisse praefatur. Quam opinionem ad c. III 9 aptissimam, ad c. I 8 minime aptam esse nunc demonstrandum erit. Illis enim versibus c. III 9: *multi Lydia nominis Romana vigui*

---

[1]) Karl Schmidt, Griechische Personennamen bei Plautus. Herm. XXXVII 10 sq.

Carolus Gatzert, De nova comoedia quaestiones onomatologicae, Diss. Gieß. 1913, de nominibus vix quicquam novi protulit.

[2]) Fortasse ad *Λυδίου* nomen Livi Andronici fabula, quae inscribitur Ludius, revocanda est. Cf. Ritschelii opuscula III 320.

clarior Ilia Horatius libere imitatus est et ad res Romanas transtulit epigramma clarissimum, quo Asclepiades Antimachi Lyden loquentem introducit (AP. IX 63):

Λυδὴ καὶ γένος εἰμὶ καὶ οὔνομα· τῶν δ'ἀπὸ Κόδρου
σεμνοτέρη πασῶν εἰμι δι' Ἀντίμαχον
Τίς γὰρ ἔμ' οὐκ ἤεισε; τίς οὐκ ἀνελέξατο Λυδήν.
τὸ ξυνὸν Μουσῶν γράμμα καὶ Ἀντιμάχου;

Cum hoc epigramma animo poetae in carmine III 9 conscribendo obversatum sit, incredibile est eum Lydae nomen aliunde sumpsisse; eodem autem tempore Valerii Catonis memor non Lydae, sed Lydiae nomen, fortasse quod ad metrum accommodatius fuit, elegit.

Sed ab hac Lydia carminis III 9 plurimum differt illa carminis I 8, quam ex Sophocle sumptam esse opinio mea est. Priusquam autem de hac agere poterimus, de Sybari, quem amando perdit, disserendum erit.

Sybaris nomen in inscriptionibus semel inveni IG XIV 734 = IGR I 437: *Σύβαρις Ἀντωνίας σεβαστῆς* (sive *δοῦλος* sive *ἀπελεύθερος*). Alii interpretes Antoniam, Drusi maioris uxorem, alii Iustiniani uxorem intellegunt. Sed Sybaris etiam nomen muliebre est; Themistocles unam ex filiabus ita appellavit. Praeterea nomen ante Horatium ignotum est. Cur autem Horatius iuveni, qui antea campi pulverem atque laborem facile tolerabat, postea amore effeminatus fugiebat, hoc nomen imposuerit, apertum est: hoc ipso nomine adulescentuli mollitiem denotare voluit. Sybaritae enim, cum propter luxuriam et effeminationem a Crotoniatis paucis diebus victi essent, ab omnibus contemnebantur mollitiesque eorum in proverbii consuetudinem venit.[1])

Hanc nominis vim intellegere neque magnae artis neque doctrinae est, atque perspexerunt iam pridem viri docti; eo mirabilius videtur Lydiae nomen quid in hoc carmine I 8 sibi vellet, uno excepto [2]) neminem adhuc in editionibus exposuisse. Falsam viam Kießlingius et Heinze ingressi sunt huius Lydiae nomen aeque atque ceterorum carminum Lydias ab Antimachi Lyda et Valerii Catonis Lydia derivandum esse opinati. Nam facile intellegitur Lydiae nomen hic non aliter interpretandum esse atque Sybarin. Quid enim de Lydis memoriae traditum est? *Quibus iterum victis arma et equi adempti iussique cauponas et ludicras artes et lenocinia exercere. Ac sic gens industria quondam potens et manu strenua effeminata mollitie luxuriaque virtutem pristinam perdidit et quos ante Cyrum*

---

[1]) Otto, Arch. lat. Lex. III 373. Die Sprichwörter der Römer Leipzig 1890 p. 338.

[2]) H. Menge Die Oden und Epoden des Horaz. [2] Berlin 1899 p. 44

invictos bella praestiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit (Iustin. I 7, 12/13). Iam Aeschylus in Persis 41 scribit: *ἀβροδιαίτων δ' ἕπεται Λυδῶν ὄχλος* (cf. schol.), Anacreon effeminatos *λυδοπαθεῖς* appellat, Magnes in comoedia saltationum Lydicarum fractam mollitiem carpit (CAF I 8), Herodotus (I 93), quem multi secuti sunt, quomodo Lydorum filiae corporibus quaestum fecerint, narrat. Ut Sybaritarum, ita Lydorum quoque mollities in proverbium venit: *Λυδὸς ἐν μεσημβρίᾳ* CAF III 535; Plut. prov. 103; Diogen. VI 18; Apost. X 82; Arsen. XXXIV 10; Hesychius, Suidas s. v. *Λυδός καπηλεύει*. Zen. V 1, Diogen. VI 3, Apost. X 83; cf. praeterea Athen. XII 515d—517a. Ne Romanis quidem haec Lydorum contemptio ignota fuit: Cic. pro Flacc. 3 et 100; Stat. silv. I 6, 7: *Lydiae tumentes*. Quae cum ita sint, neminem spero negaturum esse poetam ut Sybaris ita Lydiae nomen elegisse, ut adulescentis puellaeque mollitiem denotaret.

At longius progrediamur. *Ἡ Λυδία* et *puella Lydia* apud poetas Graecos et Romanos paene nomen proprium est, quo Omphalen, Lydiae reginam, significant. Prop. III 11, 17:

> Omphale in tantum formae processit honorem,
> Lydia Gygaeo tincta puella lacu.

Ov. fast. II 356:

> ridet amatorem Lyda puella suum. [1])

Ut Omphale autem Herculem effeminavit, ita Lydia in hoc carmine amatorem emollit et a campi exercitationibus retinet. Mihi quidem non dubium est, quin poeta de hac similitudine cogitaverit, id quod probari posse arbitror praestantissimo Sophoclis loco, quo in Trachiniis 429 nuntium cum Licha ita facit colloquentem:

> *Λι. ἐγὼ δάμαρτα; πρὸς θεῶν, φράσον φίλη*
> *δέσποινα, τόνδε τίς ποτ' ἐστὶν ὁ ξένος;*
> *ΑΓ. ὃς σοῦ παρὼν ἤκουσεν ὡς ταύτης πόθῳ*
> *πόλις δαμείη πᾶσα, κοὐχ ἡ Λυδία*
> *πέρσειεν αὐτήν, ἀλλ' ὁ τῆσδ' ἔρως φανείς.*

Nunc velim conferamus: *πρὸς θεῶν, φράσον . . . ἡ Λυδία πέρσειεν . . . ἔρως* — *Lydia, dic per omnes . . . deos . . . perdere amando*. Quid? Horatius nonne iisdem fere verbis usus est? Cum autem Sophoclis tragoedias Horatio non ignotas fuisse inter omnes constet (Ant. 783 = c. IV 13, 7), hunc Sophoclis locum Horatii animo obversatum esse conicio, cum carminis I 8 pangendi consilium caperet.

Nunc ad Lyden carminis III 11 transeamus, quae non vera persona, sed poetae inventione ficta est. Quod quo iure

---

[1]) van Royen l. l. p. 71.

dictum sit, breviter libet exponere. Horatius puellam timidam et asperam carmine videtur exoraturus esse. At quale carmen ad hanc rem elegit! Danaidis illius, quae una ex quinquaginta amore vel misericordia commota marito pepercit, poena gravissima proposita facere non potest, quin puellam ab amore deterreat.[1]) Quid sequitur? Aut ut cum Lehrsio aliisque aliquam partem carminis subditivam putemus necesse est, aut Kießlingium secuti (Philol. Untersuchungen II 107—109) Lyden personam fictam ducamus. Utra opinio veri similior sit, fusius exponere non opus est. Tamen Kießlingii explicatio contorta est; simplicius et probabilius, quod ego videam, Reitzenstein carminis rationem exposuit totique carmini in litterarum historia locum attribuit (GGA 1904, 949sq.).[2]) Carmen III 11 aeque atque III 27 esse generis litterarum ex epico et lyrico stilo mixti, quod nos dicamus: Ballade. Quod genus a rhapsodis, qui dicantur, epice, deinde a Bacchylide lyrice institutum, a poetis Alexandrinis denuo epicorum vel elegiacorum in modum tractatum, ab Horatio rursus in lyricum modum translatum esse. Cum illius generis proprium sit, ut cum parte praecipua e fabulis sumpta prooemium ad affectus poetae ipsius pertinens libere coniungatur, Horatium, ut artis legibus satisfaceret, illam puellam asperam et feroculam animo finxisse.

Carminis argumentum grave seriumque est, quod in enarrandis Danaidum rebus Aeschyli fabula poetae animo obversabatur.[3]) Iocosum et festivum hoc carmen existimare[4]) inficetum est. Itaque poetam Lydae nomen hic non ex comoedia, sed ex carminibus amatoriis hausisse verisimile est. De ceteris Lydis (III 28, 3; II 11, 21) tam pauca accipimus, ut de nominis origine nihil certi proferri possit.

Lycus. c. III 19. Lyci nomen apud Graecos omnibus temporibus usitatissimum fuisse ex permultis inscriptionibus inde a saec. V a. Chr. n. usque ad saec. III p. Chr. n. incisis apparet.

Praeterea Lycos a scriptoribus commemoratos Jessen (Roscher II 2, 2183—90) 21, Benseler 35 collegerunt, quorum numerus etiam augeri potest.

Horatium Lyci nomen III 19 ex comoedia hausisse Wendel (l. l. p. 38) iniuria inde conclusit, quod apud Euphronem (CAF III 317 fr. 1) et Plautum (Poenul. II. III 3, 5, V 6) Lyci alicuius

---

[1]) cf. Lehrsii editionem. Lips. 1869 p. CXII sq.

[2]) cf. Reitzenstein, Horaz und die hellenistische Lyrik. Neue Jahrb. f. d. klass. Altert. 1908.

[3]) fr. 301: ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός = splendide mendax v. 35.

[4]) Oesterlen, Komik und Humor bei Horaz. Stuttgart 1885—87, II 83.

mentio fit. Sed Lyci vicini nomen ex Theocrito sumptum esse Kießling probabili coniectura assecutus est (XIV 24: ἔστι Λύκος, Λύκος ἐστί, Λάβα τῶ γείτονος υἱός), quam nescio cur Heinze⁶ omiserit. Neque eo haec opinio redarguitur, quod apud Theocritum Lycus adulescens pulcher et amabilis, apud Horatium senex invidus est; nam saepe poetae nominibus ex aliis libris haustis libere utuntur. Ita Vergilium, ut afferam exemplum (Wendel l. l. p. 46), nomina Theocritea a rebus, quas Theocritus iis tribuit, disiungere aliisque locis ponere, quin etiam nominibus e fabulis sumptis ad arbitrium ut bucolicis uti inter omnes constat.

Aliam opinionem Nauck protulit. Horatium hoc nomen elegisse, ut senis invidi naturam proprie designaret; vertendum esse: Alter Isegrim. Sed apud Romanos lupus nisi propter famem et saevitiam in proverbium non abiit;[1]) nullum inveni testimonium, quo senex invidus cum lupo comparetur. Quare vereor, ne Nauck nostrae aetatis cogitandi rationem veteribus, qui ea carebant, ascripserit.

Lycidas. c. I 4. Nomen omnibus temporibus usitatum fuit: saec. V: Olymp. 271, 2; saec. IV: IG IX 2, 517, 92; saec. III/II: Syll.² 469, 2; saec. I: Syll.² 612, 10; Olymp. 64, 10; saec. I p. Chr. Olymp. 739; saec. I/II p. Chr. IG VII 3077; incerti temporis IG IX 2, 48, CIL XII 3639. Praeterea in fabulis unus (Schirmer, Roscher II 2, 2177), in litteris septem Lycidae (Benseler et Pros. Attic. II 9194 Kirchner) occurrunt.

Inter poetas Theocritus primus hoc nomine usus est, qui in carmine VII sibi Simichidae, amico alicui nobis ignoto Lycidae pastoris personam aptavit. Deinde a poetis bucolicis Theocritum imitantibus nomen tamquam pastoricium adoptatum est. (Bion II; [Theocr.] XXVII, 42; Verg. ecl. IX; Calpurn. ecl. III, VI; Nemes. IV). Bion autem primus Lycidae nomen a Theocriti pastore amore inflammato ad puerum aliquem amatum transtulit (fr. V 10 p. 141 Wilam.). Ita Vergilius quoque puero a Thyrside amato[2]) hoc nomen dedit (ecl. VII 67: *saepius at si me, Lycida formonse, revisas*). Apud Horatium c. I 4, 19 Lycidas puer pulcherrimus est, quo iuvenes calent. Utrum nomen a Theocrito ipso aut a Bione an a Vergilio mutuatus sit, accurate diiudicari non potest; tamen Vergilii librum fontem fuisse veri longe simillimum est.

---

[1]) A. Otto, Die Sprichwörter der Römer 198—201; Arch. lat. Lex. III, 1886, 64.

[2]) Hic Lycidas diversus est ab illo ecl. IX.

Glycera. c. I 19, 30; III 19; I 33. Glycerae nomen a dulcedine dictum ut Γλύκη, Γλυκαρίων alia permulta[1]) et apud cives et apud servos libertinosquo omnibus temporibus usitatissimum fuit. 76 Glyceras ex titulis omnium regionum et Graecis et Latinis collegi, quas enumerare longum est. Glycerae apud scriptores commemoratae meretrices sunt; primum Praxitelis amica (Strab. IX 410), deinde Pausiae pictoris amica, coronarum inventrix (Plin. nat. hist. XXXV 125 cf. Hor. serm. II 7, 95); tum Menandri Harpalique amica (Athen. XIII 586 cd, 594 d, 585 c).[2]) Ex Menandri comoediis[3]) alii scriptores[4]) nomen hauserunt. Utrum Horatius nomen Glycerae suae, cuius *nitore, grata protervitate, vultu nimium lubrico adspici* (c. I 19; I 30; III 19) lento amore uritur, ex vitae veritate an ex comoedia sumpserit, quae est Wendeli opinio, discernere non possumus.

Ab Horatii amica longe diversa est illa, cuius in carmine I 33 mentionem facit Tibullum graviter de praelato sibi a Glycera iuniore amatore dolentem consolaturus. Hoc Glycerae nomen a poeta fictum esse facile concludi potest ex grato verborum ludo, qui est inter ἐπίθετον immitis et nomen a dulcedine ducto (unholde Huldin). Neque Glycera a Tibullo ipso neque ab Ovidio am. III 9 in Tibulli epicedio commemoratur. Denique reliqua nomina in hoc carmine I 33 occurrentia ab Horatio non ex vita, sed ex litteris hausta esse infra demonstrabimus. Itaque Glycerae nomen hic θετικῶς usurpatum nihil aliud valere mihi videtur nisi vernacula lingua „Süßliebchen".

Pholoe. c. I 33. Nomen a montibus inter Arcadiam et Elidem sitis ductum in titulis semel inveni CIL VI 24166. In litteris quoque rarissimum est neque ante Augusti aetatem legitur. Eodem fere tempore, quo Horatius, Tibullus nomen adhibuit in carm. I 8. Apud Tibullum Pholoe Marathum puerum ad amorem pellicit, postea autem repudiat; apud Horatium Cyrum, hominem turpem, spernit; apud Tibullum difficilis (27), dura (50), saeva (62), fastidiosa (69), superba (77) appellatur, apud Horatium aspera. Quodsi duo poetae eiusdem aetatis amicitia coniuncti eodem nomine antea, quantum nos scimus, non occurrente simili modo utuntur, alterum ab altero nomen mutuatum esse apparet. Neque hic dubium est, uter prior

---

[1]) Bechtel, Hist. Namen 510; Frauennamen 44.

[2]) cf. A. Koerte, Hermes LIV 1919 p. 87 sqq.

[3]) Men. Misogyn. fr. 329, III 96 Kock = Atilius CRF Ribbeck [3] 37; Men. fr. 569, III 174 Kock; in Periciromena Glycera Polemonis amica, Pataeci filia est.

[4]) Luc. dial. mer. 1; Alciphr. epist. IV 2; 14, 1; 18, 19; Aristaenetus ep. I 19; I 22; II 3; cf. Mart. VI 40, XI 40; Ausonius epigr. 17, p. 200, Schenkl.

nomen adhibuerit. Tibullus enim abunde, Horatius strictim de Pholoa loquitur, et quod maioris momenti est, Horatius c. I 33 ad Tibullum misit de misero amore eum consolaturus. Ergo, ut honore amicum afficeret, nomen ex libro eius hausit.[1]) Quocum bene congruit, quod alia quoque nomina carminis I 33 ex poetae cuiusdam illius aetatis libellis sumpsit. Horatius postea c. II 5, 17 et III 15, 7 eodem nomine usus est.

Lycoris. c. I 33. Nomen in titulis Graecis non obvium est; in Latinis CIL V 3497 lib.; 5926 lib.; 8923 lib.; X 6177 lib.; II 1846; X 6038, XII 3424; *XII 4824. Tamen Horatium non ex vita, sed ex litteris hausisse pro certo habeo. C. Cornelius Gallus, Vergilii amicus, *amavit Cytheridem meretricem, libertam Volumnii, quae eo spreto Antonium euntem ad Gallias est secuta* et *amorum suorum de Cytheride scripsit libros quattuor* (Serv. ad ecl. X 1, p. 118 Thilo), in quibus amicam tecto nomine Lycoridis ab Apolline Lycoreo sumpto celebravit. Quae Galli carmina apud poetas illius aetatis clarissima fuisse cum nemo nesciat, testimonia afferre longum est. Etiam Martialis VIII 73 Galli amicam novit. Ut Vergilius Galli in honorem complura nomina ex carminibus eius in sua transtulit (Wendel l. l. p. 46—49), ita Horatius quoque, ut Gallum poetam clarissimum honore afficeret, hoc loco Lycoridis nomine usus est. Sed quaerat quispiam, cur id fecerit? Vergilium habuisse, cur grato animo Gallum celebraret, apertum est; Horatium autem necessitudine cum Gallo coniunctum fuisse neque memoriae traditum neque veri simile est. Ad hanc dubitationem Ovidius et Horatius ipse nobis respondeant. Trist. IV 10, 51:

> Vergilium vidi tantum, nec avara Tibullo
> tempus amicitiae fata dedere meae.
> Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi.

Horatius autem initio huius carminis Tibullum admonet: *ne miserabiles decantes elegos.* Ergo idcirco non Horatius legentes de Galli carminibus admonet, quod ipse aliquo modo cum eo coniunctus fuerit, sed quia Gallus primus carmen elegïacum ad Italos modos deduxit. Quod ubi primum intelleximus, paene opus fuisse contendere possumus, eum in carmine ad secundum elegorum poetam misso inventoris Romani huius litterarum generis aliquo modo mentionem facere. Quibus argumentis Kießlingi opinionem, qui primus Horatii Pholoen et Lycorida ex Tibulli et Galli carminibus originem ducere censuit, a L. Muelleri reprehensione (p. 119) satis defendi existimo.

---

[1]) alia eiusdem moris exempla („Komplimentzitate") collegit Stemplinger, RE VIII 2389/90.

Cyrus. c. I 33. Si probabilia sunt, quae adhuc de carmine I 33 exposuimus, longius licet progredi. Nomen regis Persarum saeculis ante Chr. n. in usu non videtur fuisse; Atheniensium nemini hoc nomen fuisse Hesychius sub verbo *Διονυσοκουροπυρρώνων* testatur neque in titulis primo a. Chr. n. saeculo vetustioribus legitur. Ab antiquis Persarum regibus unus ex Mithridatis filiis nomen Cyrum accepit (App. Mithr. 117); architectus quidam Romae versatus quinquies a Cicerone commemoratur. Postea autem nomen crebrius occurrit. saec I a. Chr. Inscr. Olymp. 62, 6. saec. II p. Chr. IG III 1138, 29. Pergam. 274, 11, 17. Ox. Pap. III 491, 18. saec. III: IG III 1177, 1197, 51; 1202, 27; 1202, 127; 2028; 3896, 21. saec. IV. Inscr. Or. Graec. 722, 11. Praeterea IG III 2028, IV 1512, XII 1, 529, 775. XII 2, 349. XII 8, 224, 4; CIL II 1965. VI 8899, 16186, 16711 lib. 19166, 21828, 27544, 29160a, 33201, 33454 lib. IX 5762, X 2252, 6715. Complures homines Christiani, martyres, episcopi in Thesauro enumerantur. Horatii temporibus nomen rarum fuit neque veri simile est poetam ex vita hausisse, praesertim cum Cyri nomen inter Lycoridem et Pholoen positum sit, quae nomina ex litteris hausta esse supra demonstravimus. Itaque huius quoque nominis fons nunc coniectura detegendus est.

Parthenius narr. amat. 22 Licymnium Chium et Hermesianactem Colophonium secutus fabulam amatoriam de Nanide, Croesi regis filia, narrat. Quam amore Cyri Sardes frustra obsidentis inflammatam Persis ea condicione urbem prodidisse, ut Cyrûs ipsam in matrimonium duceret; urbe autem expugnata regem fidem fefellisse. Hunc librum Parthenius ad Gallum misit, ut fabulis narratis ad carmina pangenda uteretur. Lycoridis nomen ex Gallo sumptum esse statuimus; in sequente versu Cyri nomen legimus, qui puellam amantem repudiat; de Cyro virginem amore incensam spernente Parthenius fabulam narrat: quid plura? Gallum nonne concludemus in carminibus Cyri aliquo modo mentionem fecisse? Sequitur, ut Horatius hoc quoque nomen primo Romanorum poetae elegiaco debeat. Quae opinio, quamquam amissis Galli libris manifesto probari non potest, tamen satis certa mihi videtur. Praeterea considerandum est, quam similiter res se habeant in Parthenii narratione et in Ciri, epyllio illo difficillimo, quod in Appendice Vergiliana legitur: nam ut apud Parthenium Cyrus Nanidem aspernatur, ita in Ciri Minos Scyllam repudiat. Quodsi Cirim Gallo tribuendam esse Skutsch vir doctissimus recte iudicavit,[1] Horatius eo facilius hoc loco eos, qui legebant, de Gallo commonefacere potuit.

[1]) Aus Vergils Frühzeit, Leipzig 1901; Gallus und Vergil, Leipzig 1906. cf. Leo, Hermes XXXVII 1902, 14 sq. XLII 1907, 35 sq.

Myrtale. c. I 33. De hoc nomine frequenter usurpato non habeo, cur multa dicam. IG II 1710, 2239 (saec. IV), XII 9, 685, XIV 492, 1750 = Kaibel, epigr. Graeca 554, XIV 2273. CIG 8039, 8038. CIL II 5446, 5533, III 2948 = 9990; IV 1363c, 2268, 2271, VI 22803, 22804, IX 1455, 2, 41; 3448 (serv.), 3529, *4788 lib. *5777, X 735, XII 3875. Prosop. Att. 1049 sq. Klein, Die griechischen Vasen mit Lieblingsinschriften, [2]1898 p. 44. Nonnullae Myrtalae apud scriptores occurrunt velut Mart. ep. V 4, Aristaen. I 3, II 16, Herod. I 89, II 65, 79. Horatium nomen ex comoedia sumpsisse Wendel p. 39 inde conclusit, quod Lucianus in mer. dial. 11 eo usus est. Re vera hoc nomen, quod puellae iuventutem et venustatem cum myrto comparat,[1]) tecto autem sensu idem quod *κλειτορίς* significat (Bechtel, Frauennamen 102), comoediae aptissimum fuit. Mea quidem sententia utrum Horatius ex vita an ex litteris hauserit, certis argumentis diiudicari non potest; neque vero facile crediderim poetam, cum cetera nomina in hoc carmine commemorata ab aliis poetis mutuatus sit, postremo de se verum amorem profiteri. Id quoque notabile mihi videtur, quam similis hic locus I 33, 13—16 illi ep. 14, 16 sit. Utroque loco poeta libertinam a se amari profitetur; ibi Maecenatis sortem celebraturus, hic Tibullum consolaturus eodem modo, quantas miserias ipse amore nactus sit, narrat.

Reliquum est, ut de tempore carminis I 33 adhuc ignoto paucis disseramus. Qua in re cum certis testimoniis destituti simus, coniectura nitendum est. Terminus, post quem c. I 33 conscriptum sit, Tibulli carmine I 8 definitur. Neque vero certum est, quando Tibullus hoc carmen fecerit. Nonnulli viri docti, quibus, quantum adhuc in hac re iudicare possum, assentior, elegias ad Marathum pertinentes ante illas, quas ad Deliam misit, censent conscriptas esse (W. S. Teuffel, Studien und Charakt. [2]477; F. Leo, Philol. Unters. II 20), alii postea (Cartault, Tibulle, Par. 1909, 23), alii eodem tempore (Belling, Albius Tibullus, Berol. 1897, p. 404), alii iudicium cohibent (Marx, RE I 1320, 60). Sed quoquo modo res se habet, certe anno 27, quo Messalla triumphum egit, Tibulli c. I 8 confectum erat. Anno autem 26 Cornelius Gallus ipse mortem sibi conscivit, neque veri simile est Horatium post illam cladem, qua Augustus magnopere commovebatur et perturbabatur, in hominis accusati et damnati honorem haec Lycoridis et Cyri nomina carmini inseruisse, etsi, qua erat maiore quam Vergilius animi constantia et firmitate, postea vestigia non delevit; Galli igitur mors terminus mihi videtur, ante quem c. I 33 scriptum

---

[1]) Iustin. IX 7, 13: Myrtale nomen quo vocabatur *ὑποκοριστικῶς* ut videtur Olympias, cum tenella esset; cf. Plut. de Pythiae oraculis c. 14.

sit. Quae coniecturae nisi iusto audaciores sunt, Horatii carmen anno 27, vel, si Tibulli elegias de Maratho scriptas iam ante primi libri editionem legit, anno praecedenti tribuendum est. Inde efficitur, ut illa Glycera, cuius perfidiam Tibullus tum deflebat, nullo pacto eadem esse possit quae Nemesis, quamquam utrumque nomen eiusdem syllabarum numeri et quantitatis est; nam carmina Nemesin celebrantia post annum 26 scripta sunt. Ne Delia quidem eadem est quae Glycera, cum incredibile sit poetas eidem personae duo nomina ficta indidisse.

Caput V.

De nominibus ex certo genere litterarum sumptis.

Phrŷne. ep. 14. Nomen in inscriptionibus exspectatione rarius est. Parentes veriti esse videntur hoc nomen macula quadam aspersum filiabus dare. IG I suppl. 80 no 373, 5 (saec. VI); II 3302, 3359, CIL II 2068 lib. 3495 lib. Saepius masculinum occurrit: IGA 539; IG I 433; I suppl. 373, 173, II suppl. 551 b 3; VII 1888, 4255; IX 2, 114 a 7; 460, 2; 517, 58; Dittenberger Syll[2] 752,10.

Clarissima omnium, quibus hoc nomen fuit, Phryna illa Epiclis filia erat (*nobile Athenis scortum* Val. Max. IV 3 ext. 3), quae, cum tantae pulchritudinis esset, ut Praxiteles et Apelles Veneres exemplo eius exprimerent, multorum virorum amoribus tam dives facta est, ut moenia Thebarum ab Alexandro deleta a se restitutum iri promittere posset; ab Euthia accusata Hyperidis opera absoluta est. Praxiteles Amoris statuam ei donasse dicitur, in cuius basim posterioris aetatis poetae indefesso studio epigrammata faciebant (AP. XVI 203—206, VI 260). Nec mirum est comoediarum scriptores benigna materia potitos esse; Amphis (fr. 24 CAF II 243 Kock), Anaxilas (fr. 22, 16, II 270), Timocles (fr. 23 et 25, II 462 ex diversis comoediis), Posidippus (III 339) Phrynae mentionem faciunt. Anaxilas autem et Timocles cum aliis nominibus (*Πλαγγών*, *Νάννιον*, *Γνάθαινα*) tum hoc ita utuntur, ut totum meretricum genus eo significent. Ex comoedia Alciphro (IV 3, IV 4, fr. 3 p. 109 Schepers) epistularum argumenta hausit. Inter Romanos Lucilius (VII 263 p. 19 Marx) primus eam commemoravit.

Horatius Phrynae nomen uno loco adhibuit ep. 14, 15 *me libertina nec uno contenta Phryne macerat.* Quem locum duplici modo interpretari possumus. Plerique interpretes Phrynen nomen proprium illius libertinae ab Horatio adamatae esse arbitrati ita interpungunt: *me libertina, nec uno contenta*

Phryne macerat. Sed nomen Phrynae, quasi nomen generale esset, totum meretricum genus denotare posse supra diximus. Itaque nescio, an nomen apud Horatium *θετικόν* sit et ita interpungendum: *me libertina, nec uno contenta Phryne, macerat.* Ita interpretationes differunt, ut ceteri in lingua nostra certo, quem vocant, articulo utantur, ego incerto: „Mich quält eine Freigelassene, und zwar eine nicht mit einem zufriedene Phryne." Haec, quam proposui, interpretatio mihi praeferenda videtur. Artificiose enim Maecenatis sortem celebraturus, de sua questurus Helenam, pulchritudinis eximiae exemplum, Phrynae, libidinis et avaritiae meretriciae exemplo, opponit. Neque vero Maecenatis amiculae nomen Helenae fuisse ex v. 13/14 concludi potest neque Horatii nomen Phrynae ex v. 15/16. Quae cum ita sint, dubitari nequit, quin Phrynae nomen et exemplum ex comoedia hauserit.

Neaera. ep. 15. Quamquam nomen in titulis rarum est (CIG 2816 Caria, 3915 Phrygia, 6834 incerti loci, CIL X 6129) tamen alibi saepe occurrit; decem Neaeras Stoll (Roscher III 1, 43) ex fabulis collegit. In aliam Neaeram, Stephani sive uxorem sive amicam, oratio illa composita est, quam legimus in corpore Demosthenico 59. Haud raro nomen iuventutem significans (Bechtel, Frauennamen 74) a comoediarum scriptoribus meretricibus datur; Philetaerus (CAF II 232), Timocles (II 462), Philemo (II 490), Licinius Imbrex (CRF [3] 39) scorta huius nominis commemorant. Horatius cum alibi comoediae lectorem se praestat (serm. I 4, 1; II 3, 11; ep. I 19, 1), tum in iambis verba et sententias ex comoedia hausta adhibet. (ep. 12, 7—12 = Plaut. Most. 274 sq. Leo, Herm. XVIII 562). Itaque nescio, an hoc nomen ex comoedia sumpserit. Cum hac opinione bene congruit, quod in iambo praecedente (14) Phrynae nomen certe ex comoedia haustum invenimus. Artius enim iambi 14 et 15 eodem metro compositi inter se cohaerent quam ceteri, cum in 15 poeta illud „non uno contenta", quo 14 finivit, alio exemplo fusius et uberius exornet. Sed ex alio quoque fonte haurire potuit. Parthenius 18 fabellam amatoriam narrat de Neaera, Hypsicreontis uxore, quae Promedontem hospitem Naxum secuta causa belli inter Naxios et Milesios orti fuisse dicitur. Parthenii autem libellus cum ad Gallum missus sit, Gallum in elegiis Neaerae fabulam narrasse Wendeli (p. 49) coniectura est; a Gallo Vergilium (ecl. 3, 3) nomen mutuatum esse. Quae opinio nunc melius, quam Wendelio contigit, fulciri potest, quod in his ipsis iambis 14 et 15 Horatius vocibus quibusdam utitur, quas Gallum primum adhibuisse Reitzenstein [1]) probavit. Utrum

[1]) ep. 14, 11 *flevit amorem* cf. Prop. I 9, 10. G. G. A. 1904, 951; ep. 15, 14 *par* = *fidelis* cf. Prop. I 1, 32. G. G. A. 1904, 950, 3.

autem Horatius comoediae, ut supra diximus, an Gallo aut Vergilio Gallum imitanti nomen debeat, disceptare non possumus.

Telephus. c. I 13; III 19; IV 11. Nomen in titulis non rarum est. saec. V: IGA 482; I suppl. 446a I 8; saec. III: IG II 1893. Inscr. Cos 40. saec. II: Ditt. Syll. [2]845, 13. saec. I p. Chr. IG IX 2, 359 c. III. 1228,65, saec. IV. Magn. 122e 8. incerti temporis: IG IV 690, 1; IX 2, 463, 16; XII 2, 490; IGR III 748; CIL V 3143 lib. VI 27139: 27140; X 3128; 4636; XIV 1685.

Telephus, Herculis filius, Mysiae rex, ab Achille cum Graecis Troiam profecturo vulneratus, postea oraculi iussu eiusdem hastae rubigine sanatus est. Quam fabulam clarissimam in Cypriis narratam poetae tragici saepissime tractabant (Arist. poet 13, 1453a 19), Aeschylus in Mysis et Telepho, Sophocles in Aleadis et Mysis, Euripides in Auga et Telepho. Addenda est Sophoclis fabula quae inscribitur Ἀχαιῶν σύλλογος (Berl. Klassikertexte V 2, 64—72) et fabula Satyrica de Telepho scripta. Iophon (TGF [2]764), Agathon (Suid.), Cleophon (Suid., si modo nomen certum est), Moschion (TGF 812), inter Romanos Ennius (fr. 330—339 p. 181 Vahlen[2]) et L. Accius (TRF[3] p. 248—252 Ribbeck) secuti sunt. Ceteri scriptores tribus modis fabula usi sunt:

Primum comoediarum scriptores Euripidem saepissime carpserunt, quod Mysiae regem sordido mendici habitu instructum induxit.[1]) Ita factum est, ut posteriore aetate Telephus aeque atque Ulixes mendicorum Cynicorum quasi patronus et ἀρχηγέτης esset.

Deinde in Aeschyli Mysis Telepho, quod Augae matris fratres occiderat, priusquam expiationis particeps factus est, loqui non licuit. Hoc Telepho tacente Amphis (fr. 30 CAF II 244) exemplo usus est, et Alexis in Parasito (fr. 178, II 364) hominem voracissimum, quem ob edendi celeritatem loquendi tempus defecit, Telephum appellavit.

Denique poetae amatorii amorem insanabilem cum Telephi vulnere, puellarum pulchritudinem cum hasta, quae Telephum et vulneravit et sanavit, comparare solent. Paulus Silentiarius A. P. V 291, 5:

Τήλεφον ὁ τρώσας καὶ ἀκέσσατο· μὴ σύγε, κούρη,
εἰς ἐμὲ δυσμενέων γίνεο πικροτέρη.

---

[1]) Woldemar Ribbeck. Die Acharner des Aristophanes. Leipzig 1864. Anhang: Über die dramatischen Parodien bei den attischen Komikern. Imitationes 89—106 p. 311/12 ad Telephum pertinent; cf. Timocl. CAF II 453 et Horatii a. p. 96.

Maced. A. P. V 225, 5:

Τήλεφός εἰμι, κόρη, σὺ δὲ γίνεο πιστὸς Ἀχιλλεύς·
κάλλεϊ σῷ παῦσον τὸν πόθον, ὡς ἔβαλες.

Nicet. Eugen: A. P. III 251:

Σὺ νῦν Ἀχιλλεύς· Τήλεφον βλέπεις, γύναι·
ναί, παῦσον, ὡς ἔτρωσας, ἥπατος πόνους.[1])

Quamquam hi poetae Horatio multo recentiores sunt, tamen iam priore aetate fuisse, qui hac comparatione non ita remota uterentur, cognoscimus ex Prop. II 1, 65, Ov. rem. am. 43/47, am. II 9, 7. Prop. II 1, 65:

Mysus et Haemoniae iuvenis, qua cuspide vulnus
senserat, hac ipsa cuspide sensit opem;
hoc si quis vitium (sc. amorem) poterit mihi demere . . .

Ov. rem. am. 43:

Discite sanari, per quem didicistis amare:
una manus vobis vulnus opemque ferat.
47. vulnus in Herculeo quae quondam fecerat hoste,
vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

am. II 9, 7 amorem alloquitur:

Quid? non Haemonius, quem cuspide perculit, heros
confossum medica postmodo iuvit ope?

Ex tali comparatione in epigrammate incerti auctoris A. P. XII 88 Telephi nomen puero delicato imponitur.

Apud Horatium Telepho, iuveni nobilissimo rosea cervice, albis bracchiis, spissa coma decoro, nihil faciendum est nisi ut ob tantam pulchritudinem a puellis Lydia, Rhoda, Phyllide ametur (c. I 13, III 19, IV 11). Quodsi Telephum poetam Graecum Horatii sodalem vocant Pseudacronis scholia (286, 1 Keller), id unice ex carminis III 19 exordio collectum est, quod ad Telephum non ante v. 19 eiusdem carminis nomine appellatum pertinere interpres eo facilius sibi persuasit, quod Hadriano imperatore grammaticus quidam huius nominis, qui Verum linguam Graecam docuit, de omnibus fere rebus grammaticis scripsit. Neque vero necessaria est opinio carminis initium ad Telephum referri. Quin etiam id factum est, ut Acrone audaciores Ritter sub Telephi nomine Heliodorum, Graecorum longe doctissimum (serm. I 5, 2), Bamberger[2]) Proculeium latere opinarentur. At vanae sunt istae coniecturae. Horatius ex quo fonte hauserit, facile intellegitur. Neque enim tragoediae mendicus sordidus neque comoediae Telephus vorax Horatiano

---

1) In obscaenum convertit Luc. asin. 6.

2) F. Bamberger. Über Telephus und einige andere personae Horatianae. Philol. I, 1846, 315—330.

similes sunt; eo facilius ex carminibus amatoriis Graecis nomen sumere potuit.

Galatea. c. III 27. Nomen in his titulis occurrit: IG II 2464, 2997, 3563, III 1503, 3057, Coll. 2092, CIL II 586 lib. V 846, 2224 lib., X 4590, 6474, VIII 1247 (christ.). Galatea [1]) nomen est nymphae, cuius Homerus Σ 45 et Hesiodus theog. 250 mentionem faciunt. Postquam Philoxenus Cytherius novo quodam genere artis musicae (Arist. Plut. 290) dithyrambum praestantissimum [2]) composuit, quo Dionysium Galateae, formosae cuiusdam tibicinae, amore captum in Cyclopis persona Galateae Nereidos pulchritudinem cantu celebrantem induxit (Phaenias apud Ath. I 6 ef 7 a), permulti poetae et comici (Nicoch. CAF I 770, Antiph. CAF II 64, Alex. CAF II 310) et lyrici (Callim. II 163—165 Schneider, Theocr. VI et XI, Bion II 3, Mosch. III 57) fabula clarissima usi sunt. Artifices quoque Polyphemi et Galateae amorem illustraverunt; mimi et saltatores Cyclopem amore inflammatum imitari solebant (Hor. serm. I 5, 63; ep. II 2, 125). Haud dubium esse potest, quin Vergilius (ecl. I 30, 31; III 64, 72, VII 37), Galateae nomen Theocrito debeat, quamquam nomen, quod apud Theocritum personae fabulosae est, ex fabula solvit et puellae humanae dedit (VII 37). Fortasse Horatius quoque ex Theocrito vel ex Vergilio nomen mutuatus est.[3]) Sed etiam ex alio fonte haurire potuit. Huius carminis III 27 parti praecipuae, quae est de Europae sorte misera, poeta exordium praemittit, quo, ut Galateae amicae iter faustum exitum habeat, precatur. Quo in exordio nonnullis formulis ex alio litterarum genere, ex propempticis, sumptis utitur, quod genus nobis praecipue ex Theocr. VII 52—89, Hor. c. I 3, epod. 10, Prop. I 8, Ov. am. II 11, Stat. silv. III 2 notum est.[4]) In his propempticis ventorum proelia (Hor. I 3, 12; III 27, 20, Ov. am. II 11, 9, 17; Theocr. VII 58) aliaque maris pericula enumerari solent. Poetae proficiscentes admonere consuerunt, ne ipsorum obliviscantur (c. III 27, 14: *et memor nostri Galatea vivas* = Ov. am. II 11, 37: *vade memor nostri)*; cf. Menandri rhetoris praecepta III 398, 27 (Rhetores Graeci, ed. L. Spengel, Lips. 1856): *ἀξιώσεις αὐτὸν μεμνῆσθαι*

---

[1]) Weicker, RE VII 1, 517—18, Weizsäcker Roscher I 2, 1586.

[2]) Qui dithyrambus tam clarus fuit, ut Hermesianax Colophonius in catalogo poetarum (Ath. XIII 598e) eum commemoraret et Arcades Polybii temporibus quotannis in theatro cantarent (Pol. IV 20).

[3]) cf Kießling, Philol. Unters. II 106—112 et quod supra Reitzensteinium secuti de Lyda diximus (p. 26).

[4]) F. Jäger, Das antike Propemptikon. Diss. München 1913.

τῆς πάλαι συνηθείας, τῆς εὐνοίας, τῆς φιλίας καὶ παραμυθεῖσθαι τὴν ἀπόστασιν μνήμαις καὶ λόγοις. Praeterea deos marinos orant, ut profecturos a periculis in mari instantibus tueantur; Men. 399, 1: *ἐὰν δὲ διὰ θαλάττης ἀνάγηται, ἐκεῖ σοι μνήμη θαλαττίων ἔσται δαιμόνων . . . προπεμπόντων τε καὶ συνθεόντων τῇ νηί;* cf. Theocr. VII 59; A.P. VI 349, 3 Philodemi: *Νηρήδων τε χόροι . . .*
Prop. I 17, 25:

> At vos aequoreae, formosa Doride natae,
> candida felici solvite vela choro.

Stat. silv. III 2, 13:

> Vos quoque caeruleum ponti, Nereides, agmen . . .
> 16: surgite de vitreis spumosae Doridos antris.

Prop. I 18, 18:

> Sit G a l a t e a tuae non aliena viae.

Ov. am. II 11, 34:

> Aequa tamen puppi sit G a l a t e a tuae.

Cum Nereides igitur tum Galateam implorare solebant, ut hominibus trans mare profecturis tutum iter praeberent. Quid ergo veri similius quam Horatium de hoc propempticorum more recordantem puellae trans mare iter facturae ipsi nomen Galateae imposuisse?

Caput VI.

De nominibus ad carminum argumenta accommodatis.

Lalage. c. I 22. Hoc nomen ut alia, quae ab eodem vocabulo derivantur, *Λάλα, Λάλαξ, Λάλλης, Λαλλίας, Λαλλίς, Λάλος* garrulitatem significans [1]) in titulis Graecis obvium non est, in Latinis IV 1507, 7; 3041; 3042; IX 406 lib. 1896. * XII 427 (inc.).

Carminis I 22 versibus 23/24: *dulce ridentem Lalagen amabo, dulce loquentem* Horatius Sapphus fr. 2 imitatur. *ἆδυ φωνεύσας ὐπακούει καὶ γελαίσας ἰμερόεν* (cf. Cat. 51, 5). Sed improbo Heinzii sententiam Horatium Sapphus carmen imitatum esse, quod nomen Lalagae ad carmen suum elegisset. Ego contra existimo Horatium, ut carmini gratam clausulam con-

---

[1]) A.P. X 1,1 Leon.: *λαλαγεῦσα χελιδών.* Theocr. VII 139: *τέττιγες λαλαγεῦντες.* V 48 *ταὶ δ'ἐπὶ δένδρει ὄρνιθες λαλαγεῦντι.* Hes. s. v. *λάλαγες: χλωροὶ βάτραχοι περὶ τὰς λίμνας.*

ciliaret, Sappho imitari in animo habuisse; cum nomen ad hoc consilium quam aptissimum quaereret, nullum accommodatius esse potuit quam Lalage.

Lesbia. ep. 12. Nomina Lesbii et Lesbiae ut alia nomina a patria ducta[1]) in titulis non rara sunt; masculinum IG III 1093b 4; 1095, 21; 1131h 8; V 1, 1408, 4; XII 2, 88, 25; 511c 13; 512; XII 3 suppl. 1302, 49; CIG 3495, 23; CIL VIII 990; IX 1227; 3209; XII 3244; XIV 943; 1994; 2148; femininum CIG 3266; CIL II 2281 lib.; V 3026 lib. 4102 lib. 4175 serva; VI 21200; 35672; VIII 4062; IX 41; 820; X 1516; XII 3827; XIV 3691, 3799. In Terentii Andria obstetrici alicui nomen Lesbia est; Catulli autem Lesbia, ut Propertii verbis utar (II 34, 88), notior est quam Helena ipsa.[2]) Itaque facile crediderim Horatium hic Lesbiae exemplo usum esse, ut totum quadrantariarum meretricum genus denotaret. Praeterea autem alia quoque notio nomini subaudienda est. Mos poetarum veterum videtur fuisse, ut carminibus suis nonnulla *mollicula et parum pudica et quod pruriat incitantia* (Cat. 16) insererent, cuius rei exempla notissima sunt Catulli 97 alia, Hor. ep. 8 et 12. Summam autem operam artemque in talibus carminibus et in Priapeis poetae contulerunt ad verborum rerumque obscaenitatem quam altissime cumulandam. Huius moris memores facile intellegemus, quid Lesbiae nomen in hoc sordidissimo omnium iamborum (12) valeat. λεσβίζειν enim vel λεσβιάζειν[3]) significat turpissimo libidinum generi inservire, h. e. ore alicui morigerari. Facile igitur Lesbiae nomen eos, qui legunt, de fine iambi 8 commonefacit, quem cum hoc 12 artius cohaerere nemo non videt: *quod (fascinum) ut superbo provoces ab inguine, ore adlaborandum est tibi.* Horatius autem ministrae fricturam crimini vertens dominae quoque, vetulae illi despectissimae, eandem maculam aspergere voluit, ut iamborum foeditatem augeret. Si non iisdem, at similibus de causis Martialis II 50 Lesbiae nomine usus est.

Lyciscus. ep. 11. Cum nomen usitatissimum fuerit, inscriptiones omnibus temporibus incisas scriptorumque Lyciscos enumerare omitto.

---

[1]) Bechtel, Histor. Namen 540, Frauennamen 57 permulta exempla collegit.

[2]) In Plaut. Merc. 654: „sed quam capiam civitatem, cogito, potissimum“, 647: „Sicyonem, Cnidum, Zacynthum, Lesbiam, Boeotiam“ cum Lesbiam nomen proprium puellae alicuius esse opinatur Wendel l. l. p. 38, coarguitur librorum indices evolvisse, libros non item.

[3]) Arist. ran 1308, eccl. 920, vesp. 1346, Hes. s. v.: *λεσβιάζειν· πρὸς ἄνδρα στοματεύειν. Λεσβιάδας γὰρ τὰς λαικαστρίας ἔλεγον.*

Horatium nomen pueri formosi (ep. 11, 24) a Lyco, Alcaei amico (c. I 32, 11), mutuatum esse Kießling Mitscherlichium secutus coniecit. Neque vero poeta alibi nomina ex libris transscripta mutavit neque huius elegiae iambis compositae materiem ex vetustiore elegia sumpsit, sed ex ea, quam poetae Alexandrini excoluerunt argumenta comoediae Atticae novae usurpantes (Leo, de Horatio et Archilocho p. 15). Cum autem apud Alexim (CAF II 347) et Plautum (fr. inc. XXIX, II 546 Leo) nomen occurrat, comoediam Horatii fontem fuisse veri simile est. Ceterum Heinze[6] hoc nomine saevitiam pueri amatorem repudiantis significari optime iudicavit; proverbium enim fuit: feritate lupos vincere (Otto, Sprichw. 198).

Lyce. c. III 10; IV 13. Nominis in vita frequentiam testantur tituli IG IV 798; IX 2, 546, 15; 561, 8; 820; 883; 937; 1344, 16; XIV 597; 1819. CIG 5214; Collitz-Bechtel 1833, 3; 1741, 2; 1876, 2; 1961, 2; 1963; 1975, 4; 2243; CIL III 2563; VI 21742; X 1068; 1296 serva. Nomen ex comoedia notum (Timocles fr. 25, CAF II 462; Amphis fr. 23, II 243) ad mores meretricum lucri praedaeque cupidarum denotandos aptissimum est (*II* 352 λύκοι σίνται); quam ob rem Romani totum genus lupas nominabant. In carmine III 10 nomen Lycae, quae *nec rigida mollior aesculo nec Mauris animum mitior anguibus* amatorem hiberna nocte ante fores asperas porrectum aquilonibus obicit, feminae saevitiam eodem modo quo Lyciscus denotat; in carmine IV 13 nomen idem fere valet quod scortum. Valerius autem Flaccus, cum Amazoni hoc nomen imposuit (Argon. VI 374), ut aliis nomina Thoae et Harpae, celeritatem voluit significare.

Thaliarchus. c. I 9. Nomen in titulis omnium temporum occurrit: saec. V IG I 433 col. 3, 20 = Pros. Att. 6574; I suppl. 299a 19; 373 118; Klein[2] 88 = Pros. Att. 6571; saec. IV. IG II 2227. saec. III IG XII 3, 89. saec. II IG XII 3, 94, 3; II 2468; saec. I IG XII 1, 127, 66; Olymp. 213, 1; saec. I p. Chr. IG V 1, 1436, 5; Olymp. 84, 23; saec. II: IG V 1, 154, 7; saec. III IG V 1, 1424, XII 3, 99; XII 9, 787, 2; CIL III 12131 lib. Apud scriptores, quicumque aetatem nostram tulerunt, praeter Horatium (c. I 9) nomen non legitur. Horatius autem Thaliarchi nomen usurpat, ut nomen ipsum (θαλίας ἄρχων, συμποσιάρχης) ei aptissimum sit, qui quadrimum merum de diota Sabina depromere iubetur. Ep. 13, 6 (*tu vina Torquato move consule pressa meo*) ad eundem Thaliarchum pertinere vanissima coniectura est.

Phidyle. c. III 23. saec. IV: IG II 751 Ba II 18; II 754, 15. 50; 755, 8; 756, 27 (eadem); II 2400; masculinum II 922; II suppl. 318b 28. saec. III: IG II 1695. saec. II: IG

II 446, 55. 80; Coll. 1354, 8; in CIL desideratur Apud Philippidem (fr. 6 CAF III 303) Φείδυλος, apud Plautum (Cornicul. fr. 5 II 533 Leo) Phedulium persona comica est. Alciphron ep. IV 2, 19 nomen ex comoedia hausit. Horatius Phidylae nomine parsimoniam (φείδομαι) mulieris rusticae non sumptuosae, sed exiguis donis deorum pacem exposcentis significare videtur.

Pyrrha. c. I 5. Nomen a crinium colore derivatum (Bechtel, Frauennamen 45) omnibus temporibus usitatissimum fuit. Pyrrha saec. V: IG II 4107, saec. IV: IG II 555. saec. III: IG II 989, 14. saec. II: Or. Graec. 90, 5. Pyrrhi autem in 138 titulis commemorantur, quos enumerare longum est.

Pyrrham, Deucalionis uxorem, nemo ignorat; alia Iphiclis uxor fuit (Mosch. 4, 52); de puella aliqua huius nominis Diphilus (CAF II 563) comoediam scripsit. Apud Horatium (c. I 5) Pyrrha puella pulcherrima, sed infida est, cuius amoris scopulis feliciter se praetervectum esse poeta profitetur. Cur hoc nomen puellae flavae (v. 4) imposuerit, facile est ad cognoscendum. Flavus vel rutilus crinis a Graecis et Romanis natura nigris capillis praeditis ab Homeri usque ad infimam aetatem plurimi aestimabatur.[1]) Apud Romanos quoque poetas in describenda puellarum iuvenumque forma ac specie mirum quantum adamata fuit coma flava: apud Catullum Ariadne (64, 63), Theseus (64, 98), Berenice (66, 62), Protesilaus (68, 130), apud Gallum Scylla (Cir. 511), apud Vergilium Arethusa (georg. IV 352), Dido (Aen. IV 698), Mercurius (IV 559), Lavinia (XII 605), apud Tibullum Delia (I 5, 44), apud Ovidium Lucretia (fast. II 763), Europa (V 609), Minerva (VI 652),[2]) Oenone (her. V 122), Laodice (XIX 135), Cydippe (XX 57), apud Martialem Lesbia (V 68), apud Apuleium Amor (met. V 22), apud Horatium ipsum Phyllis (II 4, 14), Chloe (III 9, 19), Ganymedes (IV 4, 4), Pyrrha (I 5) crinibus flavis decori sunt. Propter istas comas puellae nomen Pyrrham (πυρράν) indidit. Hac nominis interpretatione iam a Rittero prolata Kießling in priore editione nimis caute abstinuerat inter comam flavam (ξανθήν) et rutilam (πυρράν) discrimen satis magnum esse arbitratus. Ab hac opinione Heinze[6] iure recessit. Neque enim veteres ipsi hoc discrimen coloris flavi et flavi ad rubrum accedentis semper accurate servarunt. Hes. s. v.: ξανθόν. πυρρόν, καλόν. Corp. Gloss. Lat. III 469, 15: *flavus: πυρρός*. Eusthatius ad Il. I 197: ἡ ξανθὴ κόμη . . . καὶ πυρρὰ λέγοιτο ἄν. Hygin. fab. 96:

[1]) H. Blümner, Die Farbenbezeichnungen bei den röm. Dichtern (Berliner Stud. f. class. Philol. u. Archäol. XIII 3), Berlin 1892 p. 106 sq., de rutila coma 179.

[2]) De Cerere flava cf. B. Carter, Roscher Suppl. II 23.

Achilles in insula Scyro versatus Pyrrha nominabatur, quoniam capillis flavis fuit et Graece rufum pyrrhon dicitur. Luc. Phars. X 129:

tam flavos gerit altera crines,
ut nullis Caesar Rheni se dicat in arvis
tam rutilas vidisse comas.

Nihil igitur obstat, quominus nomen puellae ob crinium colorem impositum esse putemus. Alia autem argumenta impediunt, ne Kießlingium [1] (in sexta editione correxit Heinze) secuti nomen ita interpretemur: „das braune Mädchen". Nam rubicundus cutis color nimio aut calore aut frigore oritur; Hippocrates de aer. aqu. loc. c. 21 (I 63 Kuehlewein): *πυρρὸν δὲ τὸ γένος ἐστὶ τὸ Σκυθικὸν διὰ τὸ ψῦχος, οὐκ ἐπιγινομένου ὀξέως τοῦ ἡλίου· ὑπὸ δὲ τοῦ ψύχους ἡ λευκότης ἐπικαίεται καὶ γίνεται πυρρή.* Romanos autem puellas fuscae cutis amasse, ut nostrae aetatis poetae canere solent: „Das schwarzbraune Mädel", mihi ignotum est. Non obstat opinioni meae Theocr. X 26:

Βομβύκα χαρίεσσα, Σύραν καλέοντί τυ πάντες,
ἰσχνάν, ἁλιόκαυστον, ἐγὼ δὲ μόνος μελίχλωρον.
καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος

aliique huiusmodi loci velut Verg. ecl. X 38, Asclepiades A.P. V 210. Quibus locis omnibus color fuscus et solibus perustus (Hor. ep. 2, 41) excusatur. Quodsi excusatione eget, colorem rutilum contemni consuevisse facile intellegitur. Immo saepissime membra quasi lacte confecta laudantur velut Hor. c. I 13, 2; I 19, 5, II 5, 18, ut pauca afferam exempla. Utrum poeta Pyrrhae nomen ex vita an e fabulis aut, quod veri simillimum est, ex comoedia (Diphilus: *Πυρρά*) sumpserit, parum constat.

Rhode. c. III 19. Nomen in titulis crebro occurrit. s a e c. V: IG II 2341. s a e c. IV: IG II 757, 22; 1491; 2330; 3101; 4110; s a e c. III: XII 3, 851; s a e c. III p. Chr. n.: XII 7, 206. i n c. t e m p. IG III 2181; 2351; 2790; IV 734, 11; VII 1375; 3143; XIV 1370. Coll. 1547, 3; 5065, 1; 3402 b 11; CIL VI 25428 lib. 25429 lib. IX 248; 3680; X 2916; 5093 lib.; 5103 lib.; 5957; XII 2944 = 4284; 3460; XIV 1223. Buecheler carm. Lat. epigr. 737; cives Atticae Pros. Att. 12533 sq. Huic nomini a pulcherrimo flore sumpto obscaena quoque notio subiecta est.[1]) Quam ob rem nomen comoediae aptissimum fuit; in Menandri fr. 245 (CAF III 70), fr. 546 (CAF III 166) et Philemonis fr. 84 (CAF II 502) invenitur; *Ῥόδιον ἢ Ποππύζουσα* fabula Alexidis

[1]) Pherecrates CAF I 175 fr. 108, 29 *κόραι δ' ἐν ἀμπεχόναις τριχάπτοις ἀρτίως ἡβυλλιῶσαι καὶ τὰ ῥόδα κεκαρμέναι.* cf. Bechtel, Frauennamen 102/3

(CAF II 372) erat. Horatius cum ut in sermonibus ita etiam in lyricis comoediae novae lectorem se ostendat (Leo, Herm. XVIII 562), haud scio, an comoediae hoc nomen debeat. Non casu factum est, ut hic Rhodae nomen elegerit. Illis versibus (21): *Parcentis ego dexteras odi: sparge rosas!* non dominum alloquitur domum praebentem, cui nimiam parsimoniam et illiberalitatem crimini dare indecorum est; sed parcere hic ut IV 11, 7 *parcis deripere horreo cessantem Bibuli consulis amphoram* paene idem valet quod cunctari. Illam igitur personam alloquitur, quae rosas spargere iussa est: nolim diutius cuncteris; fac spargas! Quis autem aptior esse potest, qui rosas spargat, quam puella, quae ipsa et corporis habitu et nomine rosae similis sit?

Phyllis. c. IV 11. Nomen nisi posteriore aetate in titulis obvium non est. IG III suppl. 22, 7; 68 a 3; CIG 5271; CIL IV 1265a; V 229 lib. 1415 lib. VI 24170 lib. 24171; IX 2128; 3318; X 1507; 4927 lib.; 5111; XII 4743; XIV 543; 617; 2731 lib. Phyllis, Edonorum regina, Demophontis, Thesei filii, ex bello Troiano redeuntis amore capta, cum ille promissi oblitus die constituta non redisset, desiderio mariti vitam suspendio finisse et ad Strymonem sepulta esse dicitur. Callimachus in Aetiis (fr. 505 Schneider) primus, quod sciamus, hanc fabulam tractavit. Apud Vergilium Phyllis puella rustica est, de qua certant non solum Menalcas et Damoetas (ecl. III), sed etiam Thyrsis et Corydon (ecl. VII), quamquam III 76 Iollae, V 10 Mopsi, VII 14 Meliboei amica esse videtur. Ex Vergilio Calpurnius III et IV nomen mutuatus est. Quodsi Alciphron II 13 in epistula rustica, qua mater vetusta filium orat, ut periculosa re militari omissa tranquillam agricolarum vitam amplectatur, hoc nomen adhibet, eum non ex Vergilio sumpsisse, sed utrumque, Alciphronem et Vergilium, ex communi fonte, poeta aliquo bucolico aetatis Alexandrinae quae dicitur, hausisse veri simile est. Wendeli opinio (p. 49) Gallum Vergilii auctorem fuisse nullis fulcitur argumentis.

Horatius c. IV 11, 2: *est in horto, Phylli, nectendis apium coronis, est hederae vis* certe idcirco nomen adhibuit, quod ex Phyllidis nomine foliorum nomen derivatum esse tum grammatici existimabant. Hyg. fab. 59: *cuius ex nomine folia Graece phylla sunt appellata.* Servius ad ecl. V 10: *unde etiam φύλλα sunt dicta a Phyllide, quae antea πέταλα dicebantur.* Quam originationem doctam a Callimacho in Aetiis prolatam esse haud difficile est ad coniciendum. Apud Horatium autem, ut Rhode III 19 rosas spargere iubetur, ita hic Phyllis, ut apii et hederae foliis coronas nectat, invitatur. Altera opinio altera defenditur.

Unde poeta nomen sumpserit, coniectura, ut mihi videtur, iusto non audaciore assequi possumus. Vergilius enim ecl. III 76 Damoetam ita canentem facit:

Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iolla!

Ita Horatius quoque Phyllidem ad Maecenatis diem natalem celebrandum invitat. Deinde Vergilii ecloga X 41:

serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas

simillima est Horatii versibus IV 11, 2 et 34/35, quibus Phyllis ad coronas serendas modosque condiscendos et clara voce reddendos invitatur. Prona igitur suspicio est eum Vergilii in honorem nomen carmini inseruisse. De Phyllide carminis II 4 non habeo, quod dicam, neque scio, utrum Propertii Phyllis (IV 8, 29) ex vita an e fabulis aut litteris originem acceperit.

Damalis. c. I 36. De nominis origine dignum est quod afferatur Agathiae epigramma A.P. V 292:

Καὶ μοι δισσὸς ἔρως περικίδναται· εἰσοράαν γὰρ
καὶ σέ, μάκαρ, ποθέω, καὶ γλυκερὴν δάμαλιν,
ἧς με περισμύχουσι μελῃδόνες· ἀλλά με θεσμοὶ
εἴργουσιν ῥαδινῆς τηλόθι δορκαλίδος.

Quattuor adiectiva vel appellativa hic commemorata, quippe quae iuventutem vel suavitatem vel gracilitatem significent, postea nomina propria facta sunt: *Γλυκέρα*, *Δάμαλις*, *Ραδίνη*, *Δορκάς* (Bechtel, Frauennamen 91). In titulis nomen Damalidis rarum est. IG XII 7, 106; CIL II 3610; III 655; VI 35080; X 8362. Prosop. Att. 3106. Apud scriptores praeter Acta Apost. XVII 34 non legitur. Apud Horatium Damalis fidicina ad convivium, quo amici adventum Numidae ab ultima Hispania reversi laetis animis celebrant, adhibetur (c. I 36). Neque indigna est nomine suo. Ut omnibus temporibus homines arti musicae dediti a poculis non abhorruisse dicuntur,[1]) ita Damalis cum artis tum bibendi peritissima, quasi re vera *δάμαλις* (iuvenca) esset, Threicia amystide bibit. *Large bibere iumentorum modo* (Plin. nat. hist. X 105) sermo usitatissimus videtur fuisse, ut vernacula lingua dicere solemus: „Er säuft wie ein Stier". Itaque tanto numero exemplorum similium allato mihi non dubium est, quin *multi Damalis meri* a bibendi strenuitate nomen acceperit.

Nothus. c. III 15. Miro quodam casu fit, ut hoc nomen in inscriptionibus Graecis non exstet, quamquam nomina cum *νοθο-* composita non rara fuerunt, quorum Bechtel (Histor. Namen 335)

---

[1]) Plaut. Stich 757: *vos date bibat tibicini.* Apud Horatium praeter Damalin bibulam Chloris III 15 faece tenus cados potat, Lyce IV 13 impudenter bibit.

undecim exempla collegit. Apud Romanos servorum et libertinorum nomen fuit. CIL II 196 (bis), II 2022—23—24 lib. V 93 servus. V 207, VI 6314 librarius; 23074 servus, X 2415; 6679 servus; XII 1013 lib. 5690, 93; XIV 284, 4; 2862. Praeterea nomen ex comoedia, unde Horatius fortasse hausit, notum est (Philemonis *Νόθος* CAF II 491; Caecilii Statii Nothus Nicasio CRF[3] 64 Ribbeck), quamquam his locis nomen proprium non est. Horatius III 15 sine dubio nomen elegit, ut Chloridem, in quam impetum facit, eo maiore ignominia notaret, quod filia eius servi amore flagrantissimo arderet.

Chloris. c. II 5, III 15. Nomen in titulis rarissimum est; in IG bis occurrit lectionibus incertis III 2592 *Χλωρι* . . . XII 8, 503, 3 (*Χλ*)*ῶρις* (an *Δῶρις*?); in CIL II 2238 (lib.) et VI 27587. In fabulis [1]) quattuor Chlorides commemorantur; Ampyci uxor, Mopsi mater; Nelei uxor; Niobae filia, quae, cum fratribus et sororibus occisis expallesceret, hoc nomen accepit; Chloris, quae a Romanis Flora vocabatur, si modo Ovidio (fast. V 195) fides habenda est. Horatium duas personas hoc nomine appellare supra demonstravimus (p. 3), alteram pulchram puellam II 5, alteram turpem vetulam III 15. Cur his locis hoc nomine ex fabulis hausto usus sit, ex carminibus non satis apparet. Fortasse hoc considerandum est, vocem *χλωροῦ* apud Graecos, vocem viridis apud Romanos translate usurpatam duas res significare: primum idem, quod *νεαρός*, *πρόσφατος*, recens, iuvenilis (Theocr. 14, 70; [27, 66]; Verg. Aen. V 295); deinde idem quod *ὠχρός*, pallidus (*χλωρὸν δέος* saepissime; Ciris 225). Altera vis a plantis vigentibus sumpta Chloridi carminis II 5, altera referens colorem herbarum foliorumque arescentium et flaccescentium Chloridi carminis III 15 aptissima est; sed incertum est, num Horatius re vera duplicem vocis significationem spectaverit.

Caput VII.

De nominibus cum patriae indicatione coniunctis.

Cous Amyntas. ep. 12. Amyntae nomen in titulis omnium temporum saepissime legitur; 397 in Graecis, 7 in Latinis inveni, quos ex schedis repetere, ne taedium afferam candidis lectoribus, non est propositi mei. In litteris nomen cum alibi (A.P. V 185 Asclepiad.) tum apud poetas bucolicos,

---

[1]) v. Sybel, Roscher I 1, 896/7. Bethe RE III 2348/49.

Theocritum, Vergilium, Calpurnium, Nemesianum[1]) usitatissimum fuit (Wendel l. l. p. 13, 43, 54, 60 alibi). Martialem XI 41 Amyntae pastoris nomen a poetis bucolicis assumpsisse certum est, cum eodem loco etiam Iollae nomen (cf. Verg. ecl. III 76/79) praebeat. Quae cum ita sint, nullo modo videtur discerni posse, utrum Horatius nomen e vita an ex historia aut litteris hauserit. Sed poeta ipse, quae via ingredienda sit, adiectivo cum nomine coniuncto nobis ostendit. Cous ille Amyntas est. At cur Cous? Facile id intellegemus, ubi Theocriti carminis VII res agantur nobiscum reputantes. Nam illam eclogam qua Theocritus cum Eucrito et Amynta amicis se rura petisse narrat alios quosdam amicos Thalysia celebrantes visurum, in Co insula collocatam esse certum est. Arg. I: *τὰ δὲ πράγματα διάκεινται ἐν Κῷ.* Arg. II: *ἐπιδημήσας ὁ Θεόκριτος ἐν Κῷ* . . . schol. ad v. 6: *Εὐρύπυλος ὁ Ποσειδῶνος υἱὸς Κῴων βασιλεύων γήμας Κλυτίαν τὴν Μέροπος Χάλκωνα καὶ Ἀνταγόραν ἔτεκεν, ἀφ᾽ ὧν οἱ ἐν Κῷ εὐγενεῖς.* Burina (v. 6) fons Coi nobilissimus est, Pyxae (130) oppidulum. Horatium, cum iambos conscriberet, Theocriti librum iam legisse et per se apertum est et multis locis similibus, quos collegit Fritzsche (Theocriti idyllia. Lips. 1870) luce clarius demonstratur. Itaque dubitari nequit, quin Horatius Amyntam Coum Theocrito debeat.

Xanthias Phoceus. c. II 4. Xanthiae nomen non rarum est. s a e c. V: IG I 434, 11; 440, 6; 449, 10, 507; V 2, 323, 3. s a e c. IV: IG II suppl. 1361c; V 2, 32, 5. s a e c. III p. Chr. IG III 1202, 112. i n c. t e m p. IG VII 1938; 2155; 3194, 5; IX 135; 109b 9, 26. Buecheler, carm. Lat. epigr. 219. Notissimum nomen servi est ex comoedia: Arist. Acharn. 243, 259, Nub. 1485, Vesp. 1, 136, 456, Av. 656, Ran. 271, 524, 543, 579, 583. Eupolis fr. 263 CAF I 330, Cephisodori fr. 3, CAF I 800, Alexidis CAF II 307 in Asotodidascalo, in vasis phlyacum cf. Heydemann, Arch. Jb. I 260 sq.

Horatius in carmine II 4 amicum quendam ancillae suae amore captum, amorem autem pudore dissimulantem exemplis confirmat atque erigit; servam certe nobilissimo genere ortam esse, cuius rei coniecturam facile duci posse cum ex vultu eius subtristi, qui amissae pristinae dignitatis memoriam servet, tum ex animi nobilitate, quae minime in homines infimae sortis et abiectae condicionis cadat; quo illum minus servam quae videatur amare pudeat. Amico Horatius nomen Graecum Xanthiam Phoceum dedit, unde in hoc carmine pangendo Graecum ei ob oculos fuisse exemplum haud vane suspiceris. Ut Thaliarchus,

---

[1]) Nemesiani loci nescio quo pacto in Thesauro s. v Amyntas omissi sunt.

θαλίας ἄρχων, persona non vera, sed poetae cogitatione ficta est, ita Xanthias Phoceus nihil aliud valet nisi *ξανθὸς Φωκεύς*, flavus iuvenis Phocensis. Quo nomine apud poetas Pylades appellatur, Orestae amicus Phocide ortus. Ov. amor. II 6, 15:

quod fuit Argolico iuvenis Phoceus Orestae,

trist. I 5, 21:

ut foret exemplum veri Phoceus amoris,
fecerunt furiae, tristis Oresta, tuae.

trist. IV 4, 71:

et comes exemplum veri Phoceus amoris,
qui duo corporibus, mentibus unus erant.

ep. ex Ponto II 3, 45:

adfuit insano iuvenis Phoceus Orestae.

Facile hoc nomen audientibus nobis in mentem venit fabularum, quibus poetae clarissimi Pyladem partes agentem introduxerunt, Sophocles et Euripides in Electris. Et mirum quantum res in Euripidis Electra depictae cum hoc carmine consentiunt. Electra enim ab Aegistho agricolae cuidam in matrimonium data, quamquam regio genere orta regiisque penatibus innutrita, tamen in prologo ancilla facta videtur atque in luctu et squalore est, quod penates iniqui patre interfecto adeo puellam ex domo regia et splendida in rusticam et sordidam devenire siverunt. Neque tamen in abiecta condicione ei perseverandum est; nam ut Horatii Xanthias Phoceus ancillam suam, quam regio genere ortam esse poeta suspicatur, amare coepit, ita apud Euripidem Pylades Phoceus Electram, quae serva videbatur, non erat, uxorem ducit. Facile igitur cogitari potest Horatio, cum carmen II 4 scriberet, Euripidis Electram ante oculos esse versatam. Sed ne vanam hanc opinionem credas et quae peritum cautumque interpretem prorsus dedeceat, nunc velim Euripidis verba cum Horatii conferamus.[1])

37 *λαμπροὶ γὰρ εἰς γένος γε*
(h. e. 35: *πατέρων μὲν Μυκηναίων ἄπο*)
= regium certe genus.

45 *αἰσχύνομαι γὰρ ὀλβίων ἀνδρῶν τέκνα*
λαβὼν ὑβρίζειν οὐ κατάξιος γεγώς
= sit pudori . . . . beati parentes . . . .
de scelesta plebe . . . .

---

[1]) In hac re illa tria exempla — plerumque enim tribus exemplis poeta uti solet — ad fabulas pertinentia, quae ex Homero hausta esse apparet, neglegenda sunt (v. 3—12).

49 *γάμους ἀδελφῆς δυστυχεῖς*
59 *γόους τ' ἀφίημ' αἰθέρ' εἰς μέγαν*
= penatis maeret iniquos.
60 *ἡ γὰρ πανώλης Τυνδαρίς, μήτηρ ἐμή . . .*
= matre pudenda . . . .
65 *πόνους ἔχουσα, πρόσθεν εὖ τεθραμμένη*
110 *δούλης γυναικός*
= ancilla.

Quae exempla cum Horatii carmen si non rerum continuatione serieque, at mira quadam verborum similitudine cum prologo Electrae cohaerere praeclare doceant, illa quoque opinio, qua Horatii Xanthiam Phoceum a Pylade Phoceo nomen accepisse supra exposui, satis defenditur. Utrum sub Xanthia amico *Pyladea amicitia* (Cic. de fin. II 84) cum poeta coniuncto verus amicus fortasse aliquis Flavius (*ξανθός*) lateat an totus sit *φαντασίας* ludus poeticus, ignoramus.

Opuntia Megilla. c. I 27. Nomen Megillae in titulis non occurrit, in litteris uno loco (Luc. dial. mer. 5). Masculinum quoque rarum est: IG IX 83; Coll. 1443, 2; Xen. Hell. III 4, 6; Luc. dial. mort. I 3; catapl. 22. Horatii Megilla Opunte, in oppido Locridis, nata est (c. I 27, 10: *dicat Opuntiae frater Megillae)*. Hoc nomine et hoc oppido quid facerem, diu nesciebam; postquam autem adiectiva ad geographiam pertinentia haud parvi momenti esse Amyntae aliorumque nominum exemplis intellexi, coniectura audacissima mihi in mentem venit. Megillae frater Megillus est; *Μέγιλλος* autem colloquii socius est in Platonis legibus, quas Platone mortuo Philippus O p u n t i u s edidit (Diog. Laert. III 37; Suid. s. v. *φιλόσοφος*). Quamquam Horatius ipse *Epicuri de grege porcum* sese appellat neque Socratis Platonisque mentionem facit nisi uno loco (serm. II 4, 3), tamen per complures annos Athenis studiis philosophis deditus dialogorum titulos et personas certe apud magistrum didicit dialogosque legit Theomnesto fortasse docente, qui tum Athenis inter philosophos florebat. Studiorum ipse testis est ep. II 2, 43:

adiecere bonae paullo plus artis Athenae,
scilicet ut vellem curvo dignoscere rectum
atque inter silvas Academi quaerere verum.

Nonnulla quamvis pauca studiorum Platonicorum vestigia adhuc exstant in libris: carm. I 28, 1 = Theaet. 173e et serm. I 3, 43 sq = rep. V 474 d. Cur autem Philippum, Platonis discipulum rerum mathematicarum peritissimum, poetae ignotum fuisse putemus, cum Archytam, Platonis amicum, qui ipse quoque mathematicus fuit, carmine I 28 celebraverit? Non casu

igitur Horatius Megillae fratrem Opunte oriundum videtur finxisse.

Liparaeus Hebrus. c. III 12. Nomen Hebri nisi in titulis Delphicis non invenitur: Coll.-Bechtel 2194, 30; 2273, 5; 2284, 5, 11. Ab Hebro, regis Thracum filio, maximum Thraciae flumen, quod propter frigus illarum regionum a poetis saepissime commemoratur, nomen accepisse dicitur. Hebrus nominis proprii loco ante Horatium in litteris non usurpatur. Itaque poetam nomen a fluvio, cuius carm. I 25, 20; III 25, 10; epist. I 3, 3; I 16, 13 mentionem facit (cf. Alcaei fr. 109: *κάλλιστος ποταμῶν*) ad hominem transtulisse apparet. Cur autem hic Hebrus Liparaeus sit (III 12), iam dudum viri docti intellexerunt. Subaudienda est vox Graeca *λιπαρός*. Quam interpretationem rectam esse poeta ipse testis est, cum scribat: *Liparaei n i t o r Hebri, simul u n c t o s Tiberinis umeros lavit in undis.*

Thurini Calais filius Ornyti. c. III 9. Calais: IG II 821, 10 (saec. IV); (*Καλαΐδης* IG II 308, 1566; Syll.[3] 464, 9). Apud Romanos *saepe nomen servile, maxime Romae in titulis optimae aetatis* (Thesaurus). CIL V 3230; 3354; 8112, 19; VI 7426; 9298; 9333; 10565; 11381 lib.; 26100 servus; IX 2682 sexvir Aug. XI 6691, 9; XV 3183. Ornytus in inscriptionibus desideratur (*Ὀρνυμένης* Inscr. Or. Gr. 732, 6).

Poetae Romani nomine Calaidis semper Boreae et Orithyiae filium significant (cf. Thesaurum), Horatius solus adulescentem. Veteres nomen a voce *καλοῦ* derivabant (schol. Pind. Pyth. IV 181: *ἴσως τὰ ὀνόματα πεποιημένα ἀπὸ τοῦ πατρός, οἷον Ζαήτην τὸν ἄγαν ἄοντα καὶ πνέοντα, καὶ Κάλαϊν οἷον καλῶς ἄοντα*).
Certe Horatius huius nominis originis memor formositatem iuvenis, qui *sidere pulchrior* est, isto nomine denotare in animo habuit. Ut autem in fabulis Calais Aquilonis filius est (*ὠκὺς ἀπὸ Θρῄκης ὀρνύμενος Βορέης* Simonides epigr. 167,2. PLG III 505 Bergk), ita Horatii Calais filius Ornyti, cuius nomen in fabulis saepe occurrit (Hofer, Roscher III 1, 1050, 1—8).

Unde Horatius Calaidis et Ornyti nomina sumpserit, non liquet; cum autem apud Apollonium Rhodium (I 211, II 65) utrumque nomen inveniatur, fortasse ab hoc vel a Varrone Atacino nomina mutuatus est. Sed cur hunc iuvenem nomine herois Graeci praeditum, alterius herois filium, Thurinum esse fingit? Num quod sonorum huius oppidi nomen suaviter ad aures accidit, quae est Kießlingi sententia? Minime assentior, postquam statuimus Liparaeo subaudiendum esse *λιπαρόν*. Haud aliter hic res se habere mihi videtur. *Thurinus* enim Graece est *Θούριος*, *Θούριος* autem, si non pro nomine proprio, sed pro adiectivo habemus, violentus, vehemens, rapidus.

Nullum attributum aptius esse potuit patri violento (*ὀρνυμένῳ*) iuvenis illius, qui ipse a venti rapidissimi celeri filio nomen accepit. Ergo non pulchritudine solum, sed etiam alacritate et celeritate corporis iuvenis ille a Lydia adamatus excellit.

Summa arte in hoc carmine alterno gratiae reconciliationem celebrante poeta ita rem instituit, ut Lydia imaginibus atque sententiis similibus, sed maiore vi atque arte conformatis ipsum vincat. Itaque Lydia Chloae, sive serva sive libertina Thracii generis est, nobilem iuvenem Graecum cum pulchritudine tum alacritate corporis insignem opponit.

Thressa Chloe. III 9. Nomen in IG exspectatione rarius est (III 2197; XII 5, 388; 712, 40, 41); in CIL quadragies septies occurrit; numeros ex Thesauro exscribere longum est. In litteris Chloae nomen raro invenitur; mulier Christiana est I. Cor. I 11, mulier rustica apud Longum et Nicetam Eugenianum.

Hoc loco de Chloa carminis III 9 agendum erit. Num poeta nomine a gramine viridi ducto iuventutem puellae designet, incertum est; id autem manifesto ostendi potest, cur generis Thracii sit. Quid enim de ea accipimus?

> Me nunc Thressa Chloe regit,
> dulces docta modos et citharae sciens. (9)

Quis autem huius artis inventor? Ille sane, cui Mercurius ipse lyram tradidit, quem Apollo ipse artem docuit: Orpheus. Unde autem Orpheus originem duxit? Ex Thracia!

> Quid, si Threicio blandius Orpheo
> auditam moderere arboribus fidem? (c. I 24, 13).

Itaque lyra ipsa a poetis saepe Threicia nominatur ut in Verg. Aen. VI 120, Ov. am. II 11, 32; her. III 118. Ita evenit, ut Chloe citharae sciens Thressa fiat. Cur autem flava est? Haud difficile est dictu. Chloe enim Cereris cognomen, Ceres autem flava est (*E* 500 *ξανθὴ Δημήτηρ*. Tib. I 1, 15 et Verg. georg. I 96 *flava Ceres)*. Nec mirum Horatii quoque Chloen flavis crinibus a poeta ornari.

Cnidius Gyges. II 5, III 7. Nomen celeberrimi Lydiae regis in titulis rarissimum est: IG IX 2, 415, 46 (saec. I a. Chr.); Syll.[3] 46, 109 (saec. V a. Chr.). In CIL desideratur. De nominis forma cf. Choerob. Gr. Gr. IV 1, 157, 31: *Γύγης Γύγου καὶ Γύγητος ἐπὶ τοῦ γίγαντος· ὅτε δὲ ἐπὶ τοῦ βασιλέως τῆς Λυδίας λέγεται, σπονδειακόν ἐστι καὶ ἰσοσυλλάβως κλίνεται.* IV 2, 384, 35: *ὁ Γύγης ἐπὶ μὲν τοῦ Λυδίας βασιλέως σπονδειακόν, ἐπὶ δὲ τοῦ τιτᾶνος ἰαμβικόν.* Apud Horatium nomen spondiacum est. Cur Gyges carminis II 5 puer delicatus Cnidius sit, nemo est, quin facile intellegat; Venus enim, quae tantam pulchritudinem puero donavit, ut

puella videri possit, illius oppidi regina est (c. I 30, 1: *O Venus, regina Cnidi Paphique;* III 28, 13: *quae Cnidon tenet).* In carmine III 7, in quo duo nomina ex fabulis hausta, Asterien et Enipeum, iam invenimus, paullo difficilior res est; tamen, si licuerit, coniecturam proferam. Gyges, Lydiae rex, qui primus aurea et argentea donaria Delphis dedicavit magnificentissimumque sepulcrum sibi aedificandum curavit, propter ingentes divitias hominibus antiquis summae admirationi fuit (Archil. fr. 25: *οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει*; Hippon. fr. 15: *σῆμα Γύγου* . . . etc.). Horatii Gyges mercator est, qui id agit, ut negotiis in Bithynia conficiendis quam maximas divitias sibi comparet. Poeta autem Asteriam de mariti vel amici absentia ita consolaturus, ut illum brevi *Thyna merce beatum* rediturum esse affirmet, hoc ipso nomine, quod iuveni imponit, spem excitat eum cum ingentibus divitiis reversum discessus dolorem abunde compensaturum esse. Quae opinio, postquam tot res similes iam invenimus, vix sagacior quam probabilior videtur.

Chia. IV 13, 7. In titulis Graecis *Χῖα* et *Χῖος* haud ita crebro occurrunt; III 2043; IV 757 B 27: XIV 503, 2112/3; XIV add. 796a; IGR III 996; Priene 139 (saec. IV); 319; in CIL cognomen servile et libertinum centies duodecies, qui numeri nunc in Thesauro enumerantur. In litteris Horatio excepto nomen non invenitur.

Utrum Horatius (c. IV 13) nomen ex vita sumpserit necne, et cur hoc loco adhibuerit, ex carmine ipso non satis apparet. Quamquam nonnulli insulam a nive nomen accepisse opinabantur (Paus. VII 4, 8; Hecat. fr. 99), tamen Duentzeri opinio, qui hominibus nomen Chiae audientibus de niveo puellae colore (*χιών*) cogitandum esse censet, improbanda videtur, cum paulo post poeta Lycae *capitis nives* illudat. Equidem nomen non ita interpretari possum, ut omnibus me persuasurum esse sperem; nihilominus coniecturam proferre audeo.

Anno 441 Sophocles, postquam prosperrimo rerum eventu Antigonam docuit, a populo praetor creatus, ut Atheniensibus contra Samios bellum gerentibus praeesset, una cum Pericle collega Chium se contulit, ubi cum Ione poeta convenit. Quomodo ibi praetor Atheniensium ad bellum gerendum minus aptus quam ad amorem in convivio puero pulcherrimo vinum miscenti osculum rapuerit, Athenaeus XIII 603e—604 d narrat fabella iucundissima ex Ionis Chii Epidemiis hausta, quam ne Romanis quidem ignotam fuisse inde apparet, quod Cic. de off. I 144 eius mentionem facit; sine dubio convivis saepe oblectationi fuit. At quid haec ad Flaccum? Permulta opinor. Antig. 783: *Ἔρως, ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεανίδος ἐννυχεύεις*

comparetur cum c. IV 13, 6: *(Amor) virentis ... Chiae pulchris excubat in genis;* quos versus Horatium a Sophocle mutuatum esse consentaneum est; ex eadem Antigona hausit, quae Sophocli causa fuit Chium proficiscendi. In illa autem Ionis narratiuncula Sophocles puero erubescente Phrynichi versum laudat (TGF 723 Nauck[2] fr. 13): *λάμπει δ' ἐπὶ πορφυρέαις παρῇσι φῶς ἔρωτος.* Hac versuum similitudine Horatium adductum esse conici potest, ut Ionis fabellae memor puellae verbis Sophocleis depictae nomen Chiam imponeret. Sed ne opus quidem est arbitrari poetae huius fabulae in mentem venisse; Sophoclis fabula ipsa, ex qua hos versus mutuatus est, de Chio eum admonere potuit.

Consideranti mihi et reputanti, quam doctum poetam Horatius in carminibus magis magisque se praebeat, haec nominis interpretatio non displicet, quamquam eam certis argumentis probari non posse nemo est, qui me melius sciat.

Caput VIII.

De nominibus metro accommodatis.

Leuconoe. I 11. Hoc nomen in titulis non invenitur, in fabulis rarissime, quamquam 19 alia nomina cum *λευκο-*, 41 cum *-νους* composita nota sunt (Bechtel, Histor. Namen 278; 337).

Leuconoe, Luciferi filia, Apollini Philammonem filium peperit; alia quaedam, Minyae filia, quam Ovidius met. IV 167 adulterium Martis et Veneris narrantem inducit, quod Bacchi sacra contempsit, in vespertilionem mutata est. Alii autem scriptores hanc fabulam narrantes pro Leuconoa alia nomina exhibent (Schirmer, Roscher II 2, 1999. Haupt ad met. IV 1).

Cur Horatius nomen Leuconoae elegerit, facile intellegitur. Nam c. I 11 metro paulo difficiliore, Asclepiadeis maioribus, compositum est. Ad hoc metrum nomen aptissimum est, quippe quod medium totius versus choriambum expleat. Metri igitur causa poeta hoc nomine rarissmo usus est.[1] Etiam ad carminis argumentum videtur accommodatum esse. Hesych. *λευκαὶ φρένες μαινόμεναι.* schol. Pind. Pyth. IV 194: *ἀνόητοι φρένες λευκαὶ κεναί* (cf. Boeckhii comm. ad l.). Fortasse Horatius timiditatem puel-

---

[1]) De substantivis, verbis, adiectivis metri causa adhibitis vel commutatis, de usu synonymorum metro tribuendo, de multis aliis rebus metri causa ab Horatio usurpatis exempla attulit

Alfred Engel, De Q. Horatii Flacci sermone metro accommodato. Diss Vratislav. 1914.

lae simplici mente numeros Babylonios temptantis hoc nomine denotare voluit.

Neobule. III 12. Horatium carmine III 12 Alcaei carmen (fr. 59), quo puellam de infelici amore querentem et lamentantem induxerat, imitari iam pridem viri docti intellexerunt. Quod nomen puellae ab Alcaeo commemoratae fuerit, ex reliquiis non apparet. Horatius huic carmini nomen Neobulae inseruit, quod quin ex Archilocho sumptum sit, propterea dubitari nequit, quod nomen neque in titulis neque apud scriptores exceptis iis, qui de Lycambae filia loquuntur, occurrit. Nec mirum est parentes malum omen veritos hoc nomine abstinuisse, ne filiabus similis sors atque illi puellae ab Archilocho adamatae immineret. Horatius autem ut nomine uteretur, metro carminis versibus ionicis quos vocant a minore compositi adductus est, cui nomen aptissimum fuit.

De Nearcho et Pyrrho carminis III 20 nihil probabile erui potest, cum scientia rerum, quae in hoc carmine tanguntur, plane simus destituti.

Reliquum est, ut tandem longae disputationis calculos subducamus. Quattuor nomina, Asteriam, Enipeum, Inachiam, Tyndaridem, Horatius fabulis debet, quinque, Galateam, Lydam III 11, Neaeram, Phrynen, Telephum, certo generi litterarum, duodecim, Amyntam, Cyrum, Ibycum, Lycidam, Lycoridem, Lycum, Lydiam III 9, Lydiam I 8, Neobulen, Pholoen, Phyllida, Xanthiam certis scriptoribus; duo nomina, Leuconoam, Neobulen, metro accommodavit, viginti quinque carminum argumentis: Calaidem, Chiam, Chloen Thressam, Chloridem, Damalidem, Gygen, Hebrum, Liparaeum, Lalagen, Lesbiam, Leuconoam, Licymniam, Ligurinum, Lycam, Lyciscum, Lydiam I 18, Nothum, Ornytum, Thurinum, Phidylam, Phyllidem, Pyrrham, Rhoden, Sybarin, Thaliarchum, Tyndaridem, Xanthiam Phoceum. Non divino igitur quodam spiritu inflatus ut Pindarus, non furore amoris concitatus ut Catullus, sed subtili ingenio commotus, non furibunda facilitate, sed operoso labore Horatius carmina panxit summaque arte *res incunditatis et gratiae plenas, figuras varias, verba felicissime audacia* (Quintilianus inst. or. X, 1, 96) elegit. Eadem arte *curiosaque felicitate* in nominibus adhibendis usus est. Multa ex fabulis litterisque hausit, multa ad carminum argumenta accommodavit; raro res in carminibus amatoriis narratas ipse perpessus est. Haec nominum eligendorum ratio bene congruit cum verbis poetae ipsius, qui *operosis carminibus* (IV 2) *hederas, doctarum praemia frontium* (I 1, 29), a se appeti libere profitetur. Itaque toto animo Buechelero assentior Horatio fatendum esse grammatici quam poetici ingenii benigniorem fuisse venam.

Index

nominum et carminum.

Vita.

Natus sum Augustus Gruner Coburgensis a. d. XIX Kal. Sept. a. MDCCCXC patre Tobia, quem superstitem esse valde gaudeo, matre Theresa e gente Sturm, quam fratres carissimos anno MCMXV eodem proelio pro patria mortuos, cum nimium dolorem aegritudinemque perferre non posset, praematura morte secutam esse vehementissime doleo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis Coburgiae imbutus ab anno MCM gymnasii Casimiriani Coburgensis discipulus fui. Maturitatis testimonium vere anni MCMIX adeptus, ut studiis philologicis et germanicis operam darem, apud ordinem philosophorum universitatis Ludovico-Maximilianae Monacensis nomen professus sum. Ter senis mensibus post Berolinum me contuli; ibi tria semestria versatus, ut studia conficerem, universitatem Fridericianam Halensem adii et ter senos menses frequentavi.

Anno MCMXIV examine pro facultate docendi Halae bene superato miles pro patria pugnaturus interfui pugnis proeliisque a legione CCLII in Borussia orientali, Lituania, Polonia, ante Verdunum commissis; aliquamdiu morbo coactus in patria tironibus exercendis operam dedi. Quattuor annorum stipendia emeritus et ab armorum strepitu ad humaniora studia reversus nunc in gymnasio Casimiriano Coburgensi publicae scholae usum ac disciplinam experior.

Docuerunt me viri doctissimi:

Monacenses: Crusius †, Drerup, v. Heigel, Jacobsohn, v. d. Leyen, Muncker, Otto, v. Pöhlmann, Sieper, Streitberg, Vollmer, Weyman, Wilhelm.

Berolinenes: Baesecke, Diels, Frickenhaus, Geiger, Meister, Münch, Münsterberg, Mutschmann, Norden, Riehl, Roethe, E. Schmidt, Stumpf, Wentzel, de Wilamowitz.

Halenses: Bechtel, Bremer, Fries, Jahn †, Kern, Menzer, Praechter, Robert, Saran, Strauch, Wissowa.

Proseminarii I et II philologici Berolinensis sodalis ordinarius per ter senos menses fui docentibus Diels, Meister, de Wilamowitz, seminarii Halensis duo semestria moderantibus Kern, Praechter, Wissowa. Praeterea interfui exercitationibus germanicis a Bremer, Saran, Strauch, philosophis a Menzer, paedagogicis a Fries et Menzer institutis. Quibus viris doctissimis omnibus iustas et nunc ago gratias et semper habebo, maximas Georgio Wissowa, qui quanta benignitate atque indulgentia cum studia mea tum hanc dissertationem instituendam et post bellum conficiendam opera et auxilio foverit, nunquam effugiet piam gratamque memoriam.